47196
Og



N° 8.

MATTHIÆ de L'OBEL M. D.

Botanographi Regii eximii

STIRPIUM ILLUSTRATIONES.

Plurimas elaborantes inauditas plantas, ſubreptitiis JOH: PARKINSONI rapſodiis (ex codice MS inſalutato) ſparſim gravatæ.

EJUSDEM adjecta ſunt ad calcem THEATRI BOTANICI Αμαρτηματα.

Accurante GUIL: How, Anglo.

LONDINI,
Typis THO: WARREN, Impenſis JOS: KIRTON, Bibliopolæ, in Cœmeterio D. PAULI,
1655.

Pre-Linn
QK41
.L73
1655

VIrtuti debitum præbere teſtimonium, virtutis debitum. De arte judicare ut artificum, ſic judicata promulgare, amicorum. Collegium idcirco Medicorum Londinenſium, Cenſoribus cenſura demandata, ex inſpectione illas obſervaſſe plantas a D. L'Obelio ſumma diligentia deſcriptas & ad vivam effigiem delineatas cum additione variarum ſpecierum uniuſcujuſque generis a nemine hactenus in typis editarum, ipſorum verbis atteſtatur. Opus, ut illud Plinii, non minus varium, quam ipſa eſt Natura: ex quo vetuſtis novitas, novis authoritas, nitor obſoletis, lux obſcuris, faſtiditis gratia, dubiis fides, omnibus natura, naturæ ſuæ omnia; quod φύλα attinet: ut multa peragratione,

pere-

peregrinatione, perveſtigatione elaboratum, ſic luce, laude, immortalitate dignum: quod Medicos, Pharmacopœos, Chirurgos, Myropolas, ῥωποπώλας, quorum intereſt, ſcientes firmet, neſcientes erudiat, immemores reducat in memoriam. Inventis addere tametſi facile; qui tamen inveniat, quod non inventum prius, non invenitur facile. Hic antehac cum Pena ut alios, ſic nunc ſeipſum ſolus ſuperſtes ſuperavit. Hunc ergo Regium (quod illi conceſſum diploma) Botanographum, quantum in nobis, Majeſtati Regiæ, Proceribus, Muſarum Medicinæ patronis, alumnis, typographis, poſteritati, ipſique perpetuitati commendamus.

Tho. Moundeford, Præſid.
He. Atkins.
Richardus Forſter.
Marcus Ridleus.
Edw. Liſter.
Ric. Palmer.
Joh. Argent.
Tho. Friar.
Matth. Gwynn.

OPERIS EMOLUMENTI PRAEMONITIO.

QUO quiſque facilius & preſſius generalem & ſpecialem integrè Herbarum ſive Simplicium Medicamentorum aſſequatur cognitionem; admodum neceſſarium & rationi conſentaneum fuit. noſtrum quem quondam in STIRPIUM ADVERSARIIS, Londini anno reparatæ ſalutis 1570 editis, inchoavimus ordinem, proſequi; qui ducit à familiaribus & facilioribus notiſſimiſq;, ad remotiſſimas & ignotiſſimas Plantas, reducendo unamquamque ſpeciem ſub genere, tanquam ſub vexillo: ut quæ longè lateque diſparata ſunt, unum quaſi fiant, magno verborum, memoriæ & cognitionis compendio. A locis nativis Plantarum Hiſtoriæ ſeriem inire, ut doctiſſimi viri Dalechampius & Dodoneus fecere, non ſinunt plantæ plurimæ, quæ tum aridis, tum humentibus & riguis erumpunt; ut Cardamine in vinetis, viis & riguis: Lapathum

utrumque,

utrumque, utrobique aut ubique, uti fusè in argumento prædictorum Adverſariorum Stirpium his verbis diximus.

Quædam in montibus pariter & convallibus; ut Eryngium, Calamintha, Polium, & alia quamplurima; & quod imprimis obſervatu dignum, quæ jugis montium calidarum regionum proveniunt, eadem in planis, ſylvis, ſylvoſis & depreſſis regionum Septentrionalium exeunt.

Græcorum verò Authorum extant potius indices alphabetici quam Simplicium methodi, præterquam opus Dioſcoridis & fragmenta Crateuæ, ex quibus illi vires & verba mera exſcripſiſſe videntur; Utinam notas non neglexiſſent, aut eo pudore fuiſſet Plinius quo divinus Senex qui ſe parum in Simplicium cognitione profeciſſe, profeſſus eſt; aut Dioſcoridem diligentiùs legiſſet, cujus nuſquam meminit: Dioſcoridea tamen methodus, optima quidem illa illis qui jamdiu noverunt plantas; Verum ad cognitionem compendioſam, quam tantopere laudavit Dioſcorides comparandam, minus eſt accommoda; diverſis quippe

libris

libris ejuſdem ſpeciei & ſimilitudinis plantas diſtrahit, quas alioqui uno intuitu fere diſcas. Uti Cucumerem ſilveſtrem à ſativo, Colocynthides, ſive Cucurbitulas amaras, ab eſculentis Cucurbitis; Thapſiam à Ferulaceis; Crocum à Colchico; Scammoneum & Soldanellam à Volubilibus; & quamplurima paſſim; tametſi alicubi volens à ſeſe deſcivit, ſequutus quam hic adumbramus methodum, ut in Portulacis, Sempervivis & aliis. At quia Plantarum duplex eſt cognitio, altera nempe de facie exterior; altera virium, quaſique interior: illam huic antevertere oportere monet ipſa Natura: neque enim poteſt quis ullam certam cognitionem ſibi arrogare vegetabilium quæ nunquam aſpexit: Proinde primum cujuſque nomenclaturam, ut quæ rem ipſam non rarò aptè notat, è Græcis præſertim conatus ſum: Obiter regionem, & in ea ſeorſim natales, (illam Geographiam, hanc Chorographiam vocant) preſſius quam antehac deſignavi, ut quaſvis plantas quo loci, quando & à quo nanciſci, vel amicos rogare mittendas ubicunque tandem

 noſtri

noſtri orbis vel Indiarum ſcire poſſemus omnes. Deſcriptiones autem inter congeneres & ſimilimas, diſſimilitudinis collationis & ſimilitudinis ope, breviores ſemper, emendatiores plerunque & faciliores aptavi, non tam antiquorum hiſtoriæ, quam iteratæ inſpectioni, & ex plantis ipſis vivis expanſioni, quam penes jus eſt & norma rectè & verè deſcribendi.

Viſum item fuit imitatione clariſſimi & amiciſſimi quondam perpiæ memoriæ Geſneri & Camerarii, ut jam multis annis elapſis inſtitueram, Plantarum icones arguta manu & emodulata ad Plantarum ipſarum magnitudines proportione quadam (pictoribus proſpective vocata) effigiare, & adumbrare, quas alii picturæ ſolœciſmis crebrò deformant, dum arbores & frutices æquè magnas ac herbulas pingunt, negligentiâ & inſcitiâ tranſcriptorum typographicorum lucro inhiantium commiſſis) magis ſiquidem apparatu gaudent & ſtudent, quam ipſarum rerum veritati.

Omnia vero ad ſummam barbariem ventura ante obitum prædicebat præceptor Rondeletius.

Rondeletius. Typographi hodie tranſcribunt et pervertunt ſeſeque invicem perdunt miſcellaneis et collectaneis ſuis, optimos quoſvis authores, per medicos inexpertos, ludimagiſtros aut alios minus verſatos in rerum aut Plantarum Materiævē Medicæ ſcrutinio.

Vocabula latina variis pollere ſignificationibus, primariis, et metaphoricis, omnibus ſtudioſis, etiamque lippis et tonſoribus notum, diſtinctiones neſcire certum, eoque frequentiſſimè hallucinari, authorum mentem minime aſſequi non ēſt mirum. Memini Clariſſ: V. D. Aldegondium Philippum Marnixium ſæpe dixiſſe facilius eſſe libros componere, quam aliorum ſcripta ritè et propriè vertere, quampluribus voluminibus teſtibus, ut illo egregio opere eruditiſſimi V. D. Dalechampii, de quo plus ſatis egimus in nobili Confectione Arkermes Antidotarii Rondeletiani, à me aucti et emendati, ſordide tamen Londini operariorum ſupina inſcitia et temulentia excuſi anno ſalutis 1605.

Matthioli icones ſive majoris, grandiuſ-

 culæ

culæ aut minoris editionis Venetiis feliciter ſculptæ ſunt, ſed mendosè, quadrata forma, aut figura, contra Naturæ leges delineatæ et ſæpe radice, folio aut floribus mutilatæ. Hoc iconibus pluribus evenire ſolet, quando et quoties lineamenta ex plantis ſiccis rugoſis et contractis deſignare cogimur.

Peritiores norunt quot ſubreptitiis et mangonizatis iconibus noſtris catè uſus eſt Tabernæmontanus cum ſuo chalcographo tam Germano et Gallo, quam Britanno, tranſcriptoribus, qui rem ex meis et alienis laboribus fecerunt, et non modo Adverſaria Stirpium et Obſervationes meas perverterunt, vernaculo Anglo-Britannico idiomate multis locis detorſerunt, quique non modo ſeſe mutuo plerunque perdiderunt furtivis librorum ſuorum exemplaribus in lucem editis. Pudet ſanè et tædet harum ærumniarum. Novos ſiquidem indies librorum vultus edunt, interpolant et reconcinnant. Authores quotidie coguntur, titulorum non rerum ditiſſimas ſequi pollicitationes, quemadmodum mendicum medicantium

vulgus

vulgus Antiballomena, ſive Quid pro Quo rudiſſimorum et avariſſimorum pharmacantium.

Stirpium icones innumeras corraſerunt ejuſdem menſuræ ex decreto D. Chriſtophori Plantini (non meo) è vivæ Naturæ typis, mea operâ, ſed impenſis ſuis delineatas, quibus in meis Stirpium Obſervationibus Latinis, Teutonicisque Verſionibus et Iconibus uſus eſt. Contentum me fuiſſe fateor Plantinianis iconibus quibus in libellis de Frugibus, Floribus, Purgantibus et eo facientibus Dodon: uſus eſt, ne duplici ſumptu Plantinus gravaretur. Dodoneus viciſſim agnoſcit meas Icones quas mutuatus eſt in Pemptadibus ſuis epiſtola ad lectorem (quia iconibus ſuis exactiores erant) quemadmodum ego D. Cluſii. Plantinus tamen ſuadente Dodoneo, ut ſolus Botanici operis ejus frueretur, emit à Joh: Loei hæredibus icones veteres præfati Dodonei editionis vernaculæ Teutonicæ ejus, à D. Cluſio quondam Gallicæ verſæ, ex Fuchſio maxima ex parte, ut ipſemet mihi retulit, & confeſſus eſt, tranſcriptæ, cujus Fuchſii

Fuchſii Plantarum Hiſtoriam vernacula inferiori Belgica lingua vertere in votis fuit; ſed quamplurimis ejus temporis plantis raris tam ruralibus quam exoticis aut peregrinis hortenſibuſque adjutus à viro bono amiciſſimo Joanne de Vroede Machlinienſi, totius Belgii ſeniore Rhyzotomo, ſententiam mutavit, & opus novum ſecundum ordinem Fuchſii ſuum fecit.

Syncerus ille Dodoneus ingenuè & ſcitè quidem fatebatur non audere aliis uti plantis quam vulgo in pharmacopoliis notiſſimis; aſcripſit tamen aſſignatas facultates, uti maxima pars Botanographorum hodie ſolet, dubiis, ſuppoſititiiſve plantis, quæ deſcriptionibus antiquorum non conveniunt, & ſæpe conjectaneis umbris illudunt.

Africa hodie monſtra gignere deſiit, ſed eadem Europa hodie parit. Dolendum ſane quod ſericatæ noctuæ & ſordidi pharmacarii avidi in locum experientiſſimorum Medicorum, honoribus & decore defraudatorum irrepſere, cum ignaris ſedentariis vulgi opificibus, per hominum ſtrages experimenta factitantibus.

Radiciſecas

Radiciſecas mulierculas fori olitorii Londinenſis ſæpe fallere non modo officinarum caculas, ſed & quoſdam Medicos cum ſciolis aliquot pharmacopœis, compertum habeo: Quam neceſſaria ſit igitur Medicis & peritis pharmacopœis Simplicium & compoſitorum medicamentorum notities & delectus, cuique judicium relinquo.

' Medicina cum omnium artium præ-
' clariſſima ſit, (ipſo Hippocrate authore)
' ſed propter ignorantiam eorum qui eam
' exercent, & ob vulgi ruditatem, quod ta-
' les pro Medicis judicat & habet, jam eo res
' devenit ut omnium artium viliſſima cen-
' ſeatur. At vero hoc peccatum potiſſimum
' hanc ob cauſam committi videtur; ſoli
' namque Medicinæ nulla pœna in rebus
' publicis ſtatuta, præterquam ignominiæ,

Mammona & auri ſacra fame regnante, non modo vulgi ruditas, ſed & aliquot nobiles, aulicive ignobiles ſordidæque ſcholæ Medicæ lucro inhiantes hujuſmodi fovent indoctos, tituloque doctoratus decorant, (extra muros, ut loquutur) valere juſſis examinibus & cenſuris aſſuetis, audenteſque

dicere

dicere & deridere, accipiamus pecuniam, & coronemus aſellum, remittamuſque in longinquam patriam ſuam. Hac itaque ratione appoſitè authoritatis ergo ſubnectere operæpretium fuit verba clariſſimi, doctiſſimi & amiciſſimi viri D. Doctoris Dioniſii Triverii epiſtola dicata ordinibus Senatoriis Reipublicæ Zyriczeæ Zelandorum, in methodum univerſæ Medicinæ authore Hier: Triverio parenti ſuo Medico clariſſimo & quondam in antiquiſſima & celeberrima Academia Lovanienſi profeſſore publico & primario.

'Magno quidem, ſed turpiſſimo quæſtu 'in civium vitam graſſantur, quibus ut 'quoque facilius et ſub docti Medici per'ſona imponant, Italiam aut Hiſpaniam 'aut Burgundiam petunt, aut aliam exter'nam regionem ac longinquam, in cujus 'Academiis (Univerſitates vocant) per ſex 'aut ſeptem menſes remorati; neſcio quam 'ſubitam admirabilem metamorphoſim 'paſſi, ex profeſſo, inſignis Medicinæ in'ſignes Doctores redeunt & Profeſſores, 'aliquando empto, ſæpius ementito glorioſo

'Doctoratus

‘Doctoratus titulo; & qui artis veſtibu-
‘lum nunquam ſunt ingreſſi, ad ejus faſti-
‘gium ſe perveniſſe jactant, nihilque niſi
‘praxim ſuam apud vulgus crepitantes,
‘quam totam in deſcriptione alicujus medi-
‘camenti conſiſtere autumant, cum tamen
‘citra delectum & rationem multarum in-
‘vicem purgantium radicum, herbarum,
‘ſeminum, & aliorum turba tam ineptam
‘eam plerunque faciant & abſurdam, ut ab
‘ipſis pharmacopœis meritò ſæpiſſimè de-
‘rideantur.

Doctioribus ſtudioſis illud Tullii honorificum eſt: Melius à limpidiſſimis fontium ſcaturiginibus haurire, quam ſordidos & turbidos conſectari rivulos. His contra deploratiſſimis temporibus, poſt varios caſus tantaque rerum diſcrimina, diriſque funeribus et extremæ deformitatis exemplis tanta barbaries orta ut non tantum Urbes, Academias, literarios ludos, linguæ Latinæ decus et nitorem, ſed et ipſos perhumanos ſtudioſos abſorbſerit.

Altiſſimus ex terra Medicamenta creavit, quæ vir prudens non faſtidit, quare Medico

præſtantiſſimo ægrotantium ſervatori, neceſſaria admodum eſt propria manu aut oculo Medicamentorum ſuorum præparatio, Hippocratis, Andromachi, Mithridatis, Galeni, Æginetæ et aliorum nobiliſſimorum Medicorum exemplo, qui primi compoſitorum Medicamentorum inventores rationales fuere: Sed poſtquam Medicus faſtu repletus dives evaſit, defecit à Medicaminibus ſuis parandis, eademque ſervis ſuis commiſit et præfecit, tanta pedetentim ſupinâ negligentiâ ſubſequuta ignavia, ut ratio medendi, componendi nobiliſſima pharmaca, Simpliciumque notitia inter Medicos et pharmacarios oblita.

Meritò doctiſſimus ille ſenex D. Gentilis natione Italus, Apothecarios doctos in componendo pharmaco, cognitione Simplicium & eorum doſibus & ponderibus verſatiſſimos longè præferebat etiam doctiſſimis junioribus aut ineptis Medicis in cognitione Materiæ Medicæ & uſu facile parabilium Galeni, noſtratiumque ſimplicium herbarumve, quorum plurimi cum negotiatoribus merces ignotas & exoticas laudant, uti Hebræa

bræa gens emungendis nummis vaſerrima, indigenas autem neſciunt: Natura tamen unicuique genti mirifice largita eſt plantas ad morbos patriæ profligandos; ſed hujuſmodi Medici ſimiles ſunt fucis Aſtronomicis, qui quæcunque in manu altiſſimi ſunt & ſupra nos, prædicere, mentiri & altum ſapere ſtudent; ea tamen neſcire quæ manibus tractant, ut corporis noſtri ſubjectum, anatomicas adminiſtrationes, & Simplicia quæ pedibus teruntur.

At ne rem eandem, quorundam more ſæpius repeterem; textum Galeni, Aeginetæ, Plinii aliorumque veterum ad verbum deſcriptum huic noſtro operi minime inſerendum judicavi, tantum lectorem admonui eorum quæ à Dioſcoride omiſſa, & ab aliis addita fuerunt, adjectis tamen honoris cauſa auctorum nominibus, ne quenquam aut ingenii aut laborum gloria, quod iniquum foret, ut multi alii fuco turgidi faciunt, defraudarem: quinetiam multos locos Dioſcoridis de Herbarum viribus earumque cauſis per Galenum explico: Galenus namque teſtatur nullum omnium eorum qui de re

herbaria ante ſua tempora commentati Dio-ſcoride accuratius aut verius aut doctius ſcripſiſſe, quem unum ſequendum monet; ſeque ejus interpretem eſſe pluribus locis fatetur; & ſoli totam ſimplicium medicamentorum ſcientiam acceptam refert. Neque eum puduit Dioſcoridis textum ad verbum ſuis paſſim ſcriptis inſerere. Turpiſſima illa imperitorum conſuetudo eſt; ut ea improbent ac repræhendant, quæ ob ingenii tarditatem, ſupinam ignorantiam aut ſocordiam aſſequi nequeunt, & propter vitioſitatem aliena contemnunt, ſua tantum admirantur. Ejuſdem farinæ cenſendi ſcioli aliqui Zoili putiduli circulatores, (quorum alter carbonariæ chymicæ artis ſtudioſus gymnaſii literarii moderator) qui inſtitutionem & ordinem lucubrationum mearum quem nunquam viderunt aut deguſtarunt, detrectant, præſtaret contentum eſſe ſua ſorte, imperio nempe, in puerorum nates plagio cædendas.

Nec tamen interea ubique cauſarum, operationum & facultatum rationem curioſius reddere ſtudui, aut ſimplicium Medi-

camentorum

camentorum qualitates ſecundas, tertias, quartas aut etiam occultas explicare, ea ſtudioſi lectoris induſtriæ, brevitatis cauſa relinquens.

Si quiſquis doctus & ſincerus hoc jucundiſſimo & utiliſſimo ſtudio incumbens & in eodem verſatus ſedulò regionis ſuæ ſimplicia obſervaret, Botanicum ſanè opus longè lateque locupletaretur, apri ſylvis non appingerentur. Vos interea candidiſſimos lectores impensè obſecro, ut quamplurimorum doctiſſimorum virorum pios evigilatos meoſque labores STIRPIUM ILLUSTRAMENTA ſuſcipiatis, foveatis, augeatis, concinnetis, et ubi lapſi ſumus, amice moneatis.

Plantarum

PLantarum prodit cunctarum hoc unde volumen,
Illarum & facies & vires, nomina nec non
Tam belle ponens, ut verè dicere poſſis
Æmula Naturæ, quæ vera ars exprimit, eſſe?
Non aliunde poteſt quiſquam ſentire profectum,
A quo quam prius hæc pars ad faſtigia ſumma
Perducta; aſt ſparſim laxa compage fluebat.
Multi conati; ſed nullus præſtitit iſtud:
Infracto quanquam (1) Germanus multa labore
Invenit, nec non immenſis pellibus idem
(2) Auſonius, (3) Gallus, maternoq; ore (4) Britannus
Tradere tentarint; quanti hæc cornicula riſus
Furtivis nudata coloribus anſa futura
Sit doctis notum eſt; ſoli tibi magne L'Obeli
Palma reſervata eſt, aliis Natura negavit,
Cujus ſuſceptus gremio miro ordine cuncta
Digeris, atque omnes blando ſermone moraris.
Infertur cœlo (5) Alcides, (6) domitorq; chimeræ
Ignivomæ, nec non Ariadnes fila ſequutum
(7) Ægidem vates ſublimi carmine divis
Annumerant, quod monſtra ingentia & horrida pauca
Suſtulerint: Neque te (ni me ſententia fallat)
Inferiora manent: ſeclis celebrabere cunctis.
Morborum ſobolem diram ratione medendi
Præcidis certâ, qua vitæ ſtamina noſtræ
Rumpuntur, ſuperaſque cito pede linquimus oras

(1) Camerarius. Tabernæmontanus. Thurneiſſerus.
(2) Matthiolus Senenſis.
(3) Ruellius Lugdunenſis.
(4) Gerardus rapſodus quem Cluſius Æſopicam corniculam dixit.
(5) Hercules.
(6) Bellerophon.
(7) Theſeum.

Inventor

(8) *Apollo.* (8) *Inventor Deus eſt artis, divina propago*
Artem quæ ditat diam, ſic tempora priſca
Senſere; aſt noſtro ſeclo infelice refulgent
Diſcincti Nattæ. Virtus ſordeſcit & alget.
Perge tamen ſacrare tuum per ſecula nomen.
Præmia ſi neget hæc ætas tibi reddere digna,
Poſteritas te ſera canet.

Verſiculos hoſce integerrimo Dno MATTH: L'OBELIO, Medicinæ Doctori, ac Botanographo Regio Plantarum Hiſtoriam publicaturo, ut licet properanti calcar adderet, effudit ALEXANDER RHEDUS.

REI

REI HERBARIAE AMANTISSIMIS.

E Conglobatis reviviſcunt ſtrigoſis ramulis L'Obelii poſthumi vieti floſculi! ambitioſiſſima naturæ illuſtramenta obrigeſcunt penetralibus! Tantus enim decor pulchre debuit pretioſeque palleſcere. Sacrum hoc gazophylacium nondum typis dotatum ἔχει ἡδεῖαν ὀπωπὴν Ὡς ῥόδον ἐν κήποις. *Novus ovans Parkinſonus mimum agens archivis obſeravit abditiſſimis, noluitque viris impertiri niſi meritæ laudis Authoris noſtri damnata reminiſcentia; a ſeipſo primum fabricatas jactanter exhibuit ſpoliatas cymas, interim non erubuit homo animi tam pertinacis eam aſſer-*

*tionem pro ſua promulgare, in qua nullam præterquam tranſcribendi ſedulitatem navavit. Icones, & deſcriptiones plurimæ a Botanographo cuſæ, ſuas proditorie condidit nominibus ineptis inditis, ſive baptiſatis, quas pretio leviſſimo nactus eſt Plagiarius, univerſa autem hujuſmodi opera vernaculo lacerata idiomate unde erepta ſint quis non facile deprehenderit, ex aliorum laboribus indictis quorum vix cate meminere, aut meminiſſe pudet, ne detegatur illorum, & eruditionis fictæ fucus. ' Tu flo-
' ridæ pater familiæ, placidiſſime
' Zephyre, juſtus in fures ultor ir-
' rumpe: ne patiare hortorum ſepta
' latronum inſidiis patere, ac purpu-
' reum florum pudorem prædam eſſe
' prædonum: cum fratrum ſpiritu*

' conſpirante

‘ conſpirante furax hominum genus,
‘ a floribus longe difflatum, in ſpineta
‘ compelle. Par eſt enim aduncas ad
‘ furtum manus non floribus hærere,
‘ ſed ſpinis. Κλέπταις ἦμαρ. ἀπευκτότατον.
Adſunt ſtriati florum populi odoratas animas inhalantes baſiis! atque hoſpitas lucis oras grati advenæ ſalutaturi. Habetis apud quos ſtirpes proſequendi laus viget, circiter ducenas octogenas plantulas ineditas, infelix ſeculum perpetuo coronantes vere, oratione triumphantes florida, indulgentias diffundentes pleno vernantes ſinu: Ἀνθήματα hæc quæ contrahantur noctu adducta in ſeſe aut plicata, buſto delitescentia inglorio, teredineque terebrata; cum ſolis aſpectu latiſſime expanſa maneant, fugacis pulchritudinis lætum fulgur! Alcinoi jam tandem

audiant horti! obſtetricante floreæ voluptatis promo germen exoptatum excludentes.

Καὶ στάχυν ἐξ ἀγαθοῖο γεωμόρος ἐσθλὸν ἄμησε
Σπέρματος, οὐδ᾽ ἀτύχησε τέλους πόθος, οἷον ἔολπει.

G. H.

SYNOPSIS

Synopſis Deſcriptionum quæ continentur STIRPIUM ILLUSTRATIONIBUS.

A.

ACorus Indicus Aromaticus concretione & habitu Galangæ majoris, &c. Pag. 122
Alopecuros altera Anglica ſive Flandrica. 36
Alſine tenella capillaribus ramulis altera elatior. 108
Apocynum Virgineum. 130
Archangelica multiplicata latiore umbella. 144
Arundo Indica ſtriata vel ſulcata alba Robini Junior. 71
Aſtragalus purpureus montanus. 160
Atriplex maritima altera, &c. 85
Atriplex maritima anguſtifolia 2a, &c. 86
Atriplex maritima anguſtifol: 3a, &c. 87

B.

BEllis ſyl: minima. pag. 109
Beta maritima ſyl: ſpontanea. Ejuſque variet. 84, 85
Beta maxima. 84
Betonica Danica maxima. 112
Biſtorta minor noſtras. 89
Braſſica capitata veneta vocata Serotina. 81
Braſſica pomifera capitata Angl. Britan. 82
Braſſica vulg. arboreſcens Flandrica. ibid.

Bugloſſum

Bugloſſum ſive Borrago dulcis mellita Lancaſtrienſis. pag. 121
Buphthalmum tenuifolium Africum Boelii. 149

C.

Calamogroſtis altera gluma aceroſa Nortvegicæ ſimilis Angl. Brit. 44
Calamogroſtis aquatica Angl. Brit. aceroſa gluma. ibid.
Calamogroſtis ſylvæ D: Johan. 42
Calamogroſtis toroſa panicula. 43
Campanula cærulea ſupina. 96
Campanula Helvetia fl. candido. ibid.
Campanula montana Italica flore pendulo. 95
Cardamine Alpina ſive media. 74
Centaurium majus luteum foliis profunde laciniatis. 143
Chamæbalanus 2 vel ſyl. 169
Chamæmelum pumilum Africanum. 148
Cicer Alpinum. 169
Circæa Lutetiana minor Danica. 89
Convoluulus paramænus Rob: &c. 126
Convoluulus purpureus aſcendens. Ejuſd. ibid.
Cotyledon minus montanum alterum ſedifolium longioribus foliis. 102
Cyclamen anguſtifolium folio Ophiogloſſi. 123
Cyclamen Neapolitanum flore niveo. 124
Cyclamen odoratum Antiochenum humile ampliſſimo flore rubro Robini. 123

D.

D.

DAucus Creten*ſ*is folio cra*ſſ*iore. pag. 146
Digitalis frute*ſ*cens, *ſ*ive arbore*ſ*cens vario flore Robini. 121
Doronicum fibrata radice D. J. Dilſii. 133
Doronici varietates. 132
Dorycnio Hiſpanico affinis alia Planta. 159

E.

EQuiſetum minus omnium tenuifolium. 149
Eruca Africana altera. 74
Eruca Africana Thlaſpi & Erucæ media Planta Boelii. ibid.

F.

FOEni Burgundiaci varietates in florum coloribus. 158
Fraga major ſubalbida. 169

G.

GEntiana altera dubia Anglica, &c. 92
Geranium alterum elegans flore variegato. 134
Geranium fœtidum. ibid.
Geranium montanum alterum. 133
Gramen aculeatum Bayonenſe paluſtre ſpicato breviore paniculato torulo. 49
Gramen Alopecuroides Africanum Boelii. 37

Gramen

Gramen Alopecuroides majus alterum villoſum. 25
Gramen Alopecuroides minus alterum. 26
Gramen Alopecuroides aut Myoſuroides mucronatum minus alterum. ibid.
Gramen Angl. Britan. exilis hirſuti graminis differentia Boelii. 42
Gramen aquaticum longius radicatum ſpicata avenacea gluma. 25
Gramen arvenſe ſegetum aridorumque locorum æſtivum alterum. 16
Gramen arundinaceum ſericea molliore & graciliore ſpica, &c. 45
Gramen criſtatum Britannicum. 30
Gramen cuſpidatum Alopecuroides majus, avenacea gluma. 37
Gramen cuſpidatum Alopecuroides latiore maximaq; panicula, &c. 38
Gramen cuſpidatum tenui toroſa villoſa ſpicata gluma, &c. 39
Gramen Cyperoides aculeatum, ſive echinatum aquaticum alterum. 48
Gramen Cyp. aquarum auguſtarum, ſive Bayonenſe Iſchœmi paniculis. 58
Gramen Cyp. aqu. Bayonenſe. 54
Gramen Cyp. aqu. tenui triquetro longoque caule, &c. 57
Gramen Cyp. Bayonenſe paluſtre longiuſculis ſpicatis paniculis aculeatis. 49
Gramen Cyp. Bayon. fuſca ſpicata elegantiſſima panicula Boelii. 59
Gramen Cyp. comoſa torulis diſtincta ſparſa panicula, paluſtre Angl. Brit. 60

Gramen

Gramen Cyp. Danicum glabrum foliis vetonicæ Caryophylleæ anguloſo caule. 47
Gramen Cyp. echinatum montanis planis oriundum. 48
Gramen Cyp. eleganti multifera congeſta ſpica Angl. Brit. 59
Gramen Cyperoides foliis vetonicæ Caryophyllatæ frequentiore grano ſpicatum. 47
Gramen Cyp. gracile alterum glomeratis torulis ſpatio diſtantibus. 61
Gramen Cyp. minimum Boelii tenuifolium parvis per caulem diſtinctis torulis. 54
Gramen Cyp. Nortvegicum alterum. 52
Gramen Cyp. Nortvegicum ima foliorum baſi tantillum lanuginoſum. 51
Gramen Cyp. paluſtre gracilibus ſpicis, aut ſpicatum tenue. 53
Gramen Cyp. paluſtre longius ſpicatum Angl. Brit. aceroſum & echinatum. 50
Gramen Cyp. paluſtre miliaceum marinum Auguſtarum Aquarum, ſive Bayonenſe. 56
Gramen Cyp. ſparſa panicula Altæ Portæ. 55
Gramen Cyp. ſylvarum tenuius ſpicatum. 60
Gramen dulce udorum. 10
Gramen durius udorum. 17
Gramen elatius vulgatiſſimo ſimile. 1
Gramen exile durius. 19
Gramen exile vicinorum maris aggerum, &c. 21
Gramen geniculatum alterum aggerum Zelandiæ. 35
Gramen geniculatum arenoſorum aggeris maritimorum Zelandiæ longius radicatum. 34

Gramen hirſutum minus nemoroſum latiuſculo folio. 41
Gramen hirſutum nemorum latioribus majoribuſque foliis præcox vernum. 39
Gramen Iſchæmum Africanum perenne. 36
Gramen Juncoides alterum ſive Bufonis Flandricum. 70
Gramen Juncoides alterum minus granatum comitatus Kantii. 64
Cramen Juncoides Batavum ſpecioſum. 69
Cramen Juncoides exile omniumque tenuiſſimum Pleymuenſe. 67
Gramen Juncoides medium paniculis ſparſis. 65
Gramen Junc. minimum Angl. Brit. Holoſtio Matth. congener aut Gramini Flandrico. 70
Gramen Junc. minus ſparſis paniculis, ſive Juncellus gramineus ſparſa panicula. 65
Cramen Juncoides paucifolium tenuiſſimum exile. 68
Cramen Junc. ſparſa Junci panicula, compreſſo caule. 64
Gramen Junc. tenuiſſimum ſubfuſcis torulis apiculis carentibus præditum 68
Gramen lanatum tomentoſumve perelegans tenuifolium. 54
Gramen Leucanthemum Aquitanicum non hirſutum nemorenſe Boelii. 19
Cramen maritimum alterum ſive 2 elatius. 8
Gramen marit. 3 vulgari ſimile ſupinum exigua avenacea gluma. 9
Gramen marit: Vectis Inſulæ Angl. Brit. 34
Gramen marit. vulgato canario ſimile. 24

Gramen marit. vulgatiſſimo pratenſi gramini congener aut ſimile. 8
Gramen minimum Angl. Brit. 20
Gramen murorum. 7
Gramen nemoroſum hirſutum minus anguſtifolium. 40
Gramen omnium minimum Angl. Britan. alterum. 21
Gramen Phalaroides longioribus anguſtis ſpicatis torulis paniculatum: 26
Gramen pratenſe durius Xerampelini graminis prætenui ſparſa gluma. 15
Gramen pratenſe elatius alterum. 5
Gramen pratenſe vulg. elatius tertium. ibid.
Gramen Pſeudo-Cyperoides Angl. Brit. 57
Gramen quodammodo ſupinum vulg. latiuſculo binum & ternum unciarum complicato folio. 7
Cramen ruderum etiamque aruorum durius. 6
Gramen ſupinum Monſpelienſe. 33
Gramen ſyl. Africanum Panici effigie. 18
Gramen ſyl. Angl. Britan. Panici effigie. 17
Gramen tenue molliuſculis foliis maritimum. 20
Gramen tenuifolium exile Britan. ex genere Xerampelini graminis. 33
Cramen tremulum minus alterum Aquitanicum. 27
Gramen Typhinum alterum ſive Zelandicum. 29
Gramen Typhinum ſive Typhoides maximum. 28
Gramen Typhinum minus Danicum. 29
Gramen Typhinum minus Harlemenſe Batavum: 30
Gramen Xerampelino arvenſe congener minutiſſimo ſemine annuum. 16
Gramen Xerampel: exile Narbonenſe, etiamque Ang. Britan. &c. 11

 Gramen

Gramen Xerampelini facie elatius ſive maximum udorum & rivulorum. 15
Gramen Xerampel. miliacea pratenui ramoſaque ſparſa panicula. 14

H.

HElleborines 2 Cluſ. ſimilis Planta. 93
Helleborines 3 Cluſ. ſimilis facie, &c. 94
Nelxine Ceſampelos altera minima Angl. Brit. 127
Hepatica polyanthos. 157
Hepatic: variet. 156
Hieracium medionigrum. 79
Hieracii Sabaudi aut Myagri ſimilis Virgin: ſubfrutex. 78

J.

IUncus Cyperoides gramineus alter capitulis Equiſeti. 71
Juncus gramineus maximus ſparſa panicula. 66
Juncus gramineus max. ſparſ. panicul. alter. ibid.
Juncellus gramineus parvus gracilis Altæ Portæ. ibid.

L.

LActuca capitata patula. 81
Lagopus perpuſillus ſupinus elegantiſſimus Anglicus. 158
Limonium Africanum Boelii. 91
Limonium medium Anglicum. 90
Linaria cærulea minor. 103

Linaria

Linaria lutea minima altera. 103
Linaria pinnata anguſtifolia Africana Boelii. 127
Lithoſpermum cæruleum D. Peliſſerii. 107
Lonchitis altera minor. 149
Lychnis arvenſis Anglica. 97
Lychnis exilis agri Bayonenſis Boelii. 98
Lychnis exilis ſive tenuifolia altera. ibid.

M.

MEdica Africa flore luteo. 159
Medica maritima Africa Boelii. ibid.
Medica maritima altera. ibid.
Millefolium creticum latifolium Robini. 147

N.

NArdi Gangitis ſpuriæ ſimilis tenuifolia capillaris Planta montana Cambro-Britan. 62
Naſtos id eſt farcta arundinis varietas. 72

O.

OXyagroſtis pumila, ſive Calamogroſtis Iberia acuta. 32

P.

PEdicularis Danica maxima. 147
Pepones peregrini varii coloris. 131
Perfoliatum gramineum Helvetium, &c. 137
Phaſeoli præduri Indiani varii. 168

Phyteuma

Phyteuma Monſpelienſium alterum folio minus laciniato. 146
Piſum ſyl. 1. 162
Piſum ſyl. 2. ibid.
Piſum ſyl. 3. ibid.
Piſum puſillum aliud ſyl. ſpontaneum. 164
Piſum ſpont. aliud marit. Angl. ibid.
Planta juxta Highgate reperta. 76
Polium montanum pumilum Africum. 105
Primula altera foliacea floribus diſſectis. 120
Primula foliaceis capitulis ſubtus et inter flores prædita. 119
Primula ſylvarum ſingularibus pediculis geminis floribus alteri altero innatis prædita. 118
Primula veris ex luteolo ſubviridi altius laciniata aut fimbriata. 119
Primula veris flore viridi umbellifera. 121
Primula veris gemino flore altero ſuperiore luteo altero inferiore viridi, innato. 117
Pulegium vulgare majus. 105

Q.

Quinquenerviæ plantaginis varietas. 92

R.

Ranunculi Aſiatici varietates. 138
Ranunculus facie Betonicæ. 141
Ranunculus flammeus anguſtifolius. 136
Ranunculus perelegans. 135

Ranunculus

Ranunculus polyanth. nemoroſus. 142
Ranunculus pumilus alter anguſtifolius. 137
Ranunculus rotundifolius Cretico Cluſ. addictus. 139
Rapiſtrum flore luteo alterum. 73
Rapum fulvum tereti rotunda oblongioreque radice. ibid.

S.

Salvia pinnata major Danica. 112
Saniculæ Alpin. ſimilis planta elegantiſſima indicta. 125
Saponaria Anglica convoluto folio. 94
Sedum Alpinum Heluetium. 100
Sed: Alp. 3 Cluſ. varietas. 101
Sedum Nortvegicum minus. 99
Sedum minimum petreum Nortvegicum Illecebræ ſimillimum. 101
Sedum montanum puſillum indictum. 100
Sedum perpuſillum omnium minimum indictum. 101
Senecio Jacobæa Zelandica incana. 76
Sideritis radice ſtrumoſa Angl. Britan. 109
Solanum Indicum fruteſcens Robini. 87
Solanum magnum Virgin: facie Solani ſomniferi læthalis noſtratis. 88
Sonchus fruticoſus petreus ſpinoſus Africanus. 77
Sonchus lævis alter Danicus aut Anglicus. ibid.
Sparganium alterum ſive minus. 63
Stœchas odorata purpurea. 106
Synanchia altera Anglica ſive minor. 150

T.

T.

THlaſpi alterum ſiliquoſum. 75
Trifolium hæmorrhoidale. 151
Trifolium ſtellatum Monſpeliacum. 154

V.

VAleriana montana D. Peliterii. 145
Verbaſcum ſpinoſum Creticum D. J. Monnel. 113
Vitis Virg. tenui ſarmento ſcanſilis. 128
Volubilis Africana indicta minus pinnata. 126

W.

WAchoacam. 124

Erratula quæ inter excudendum fefellere, ſic reſtitue.

PAg. 4. lin. 3. *falluntur*. 76. 1. *foliolis*. ibid. *conflati*. 95. 7. *Litchbarrow*. 96. 17. *Rapunculi*. 147. 10. *Phu*. 152. 16. *Dorycnium*. 167. 20. *fodiendo*. 106. 2. *Stœchas*.

STIRPIUM

STIRPIUM ILLUSTRATIONES.

Pratenſis Graminis varietates.

Gramen elatius vulgatiſsimo ſimile, cujus Icon perperam in Iconibus & Obſervationibus irrepſit in locum Graminis minoris.

Gramen vulgatiſsimum majus ſecundum Boelii.

BIpedalis ſtipula etiamq; altior, geniculata, è capillari ſubfuſcâ & ſubluteâ radice, foliis imis brevioribus, ſeſquiuncialibus, ſed in caule quaternas, aut paulo longiores uncias æquant. acere, ſemine, & jubata coma, vulgatiſſimi

Graminis ſimilimo ſed grandiore; Agrorum marginibus gaudet.

Mendum typographicum tranſlatitiæ Iconis meæ, ob fatalem operariorum negligentiam, cùm in Obſervationibus Teutonicis, tùm in Iconibus ſequutus eſt rapſodus Londinenſis J. Gerard: obtuſiſque naribus Gramen etiam iſtud pratenſe minus ſive parvum ſtatuit: meos ſiquidem labores ſupprimere conatus eſt, eoſque ſibi temerè, & impudenter arrogavit, univerſúmque opus noſtrum, Adverſaria Stirpium vocatum, corraſit & ſuis rapſodiis ſtatim ab initio inſeruit, & pro verbo, verbum reddidit, (linguæ autem Latinæ admodum rudis fuit) ſed multa balbutire & effutire conabatur, ut tanquam ſciolus videretur, regnaretque ſicut inter luſcos ſtrabo, barbitonſorum quorundam ſordidorum more. Iconibus Tabernemontani uſus eſt, qui omnes Icones noſtras & Plantinianas, nec non Cluſii omniumque Botanographorum catè & tacitè, ſuppreſſis authorum nominibus, ne laterna aperiatur, ut fieri ſolet, unde undequaque exhauſerit; ſæpiſſimè unam Iconem ſordidè,

crasſâ

craſsâ verò ignorantiâ ſubſtituens. Hoc cum monerem erratum mordicùs & impudenter reſpondebat, vulgus neſcire Plantarum deſcriptiones, & Iconum Symmetrias; læſâ tamen largiter & jugiter conſcientiâ.

Cum hæc videret piæ memoriæ honeſtus & vetus amicus hujus ſtudii, & elegantiſſimorum Florum & Plantarum exoticarum aromatumq; callentiſſimus Jacobus Garetus D. J. Nortonum, Typographum Regium præmonuit, ut præcaveret & occurreret abſurdiſſimis & pernicioſis mendis; quibus perſpectis D. Nortonus, inſtinctu Gareti, petiit auxilium & operam meam, quod lubens & alacriter ob gentis amorem & aureæ nobilitatis humanitatem & liberalitatem præſtiti. Tunc ferè abſolverat typographus Graminum familiam, in qua errata quamplurima remanſere in tranſpoſitione Iconum & nominum. Opus pluſquam mille mendis vindicavi; ſuperſunt quamplurimæ, quas cùm illi exponerem, inquiebat phraſim Anglicam, undequaque emendicatam, talem eſſe, & me oblitum Anglicanam linguam.

Nobiles matronæ in agro & villa ubi

regnant Medicaſtri, frigent boni & doctiſſimi Medici, per has Plantas mederi coguntur, ſed fallantur, innumerique pereunt. Hujuſmodi igitur libri egent animadverſione & perſpicientiâ; cum æquè ac graſſans teterrima peſtis pernicioſi ſint.

Impudentes hujuſmodi homines, clerici in libro vocati, linguarum ignari, etiamſi ex mendoſis & mutilatis Botanographorum bibliis Icones Stirpium ſe noſſe jactitent, & ex his Botanographicas ſuas hiſtorias concinnent; vivas tamen hortenſes plantas aut agreſtes earumque degenerationes & mutatas formas neſciunt. Facile enim eſt mendoſe ſtatuere, & carpere; ſed difficile emendare. Pænitet, ſanè pudetque & tædet hujus ævi tranſcriptorum neſciorum, Herbarum collectorum, acervorúmque oſtentatorum, periclitatorum vaferrimarum pollicitationum, qui audent libros corrumpere, meos alienoſque pios labores & Rempublicam perdere, & vitam cum morte permutare, craſſa veritatis & cognitionis legitimorum ſimplicium & compoſitorum medicamentorum ignorantia.

In

In eos hoc protritum invehitur: Militibus, Medico, Tortori occidere ludo eſt.

Etiamque quadrat illud Hieremiæ Triverii Profeſſoris quondam in celeberrimo gymnaſio medico Lovanienſi, cujus memini in Balſami & Mollis explanatione.

Ambitio inquit condonanda, ſed eſt intollerabilis illorum gloria, qui hodie novas & veras rapſodias ſcribunt, &c. quod eſt tam difficile, ut nemo non poſſit facere, qui ſciat legere. Ex hoc eſt quod tam multi (utinam pauci boni) nobis prodeant Medici.

Gramen Pratenſe elatius alterum.

Stipulis elatius iſtud: Riguis pratenſibus marginibus item effertur; amænis latioribuſq; nitidis paniculis faſtigiatum cætera reſpondent, aut conveniunt.

Gramen Pratenſe vulgatiſsimum elatius tertium.

Differentià perſpicua eſt, cum inferiorum foliorum viriditatis dilutioris exilitate, tum

tum pedalium, cubitalium & ſeſquicubitalium, duriorumque calamulorum, eorumque foliorum & panicularum amplitudine. Londinenſis agri incola.

Variat ſupinis, geniculatis, circa radices cirratis culmis, rarioribus item panniculis, cætera ſuperiori reſpondent.

Gramen ruderum, etiamque arvorum durius.

E ſubruffa capillari radice folia edit ſtriata, duriuſcula, ſpithamæa, caules ſeſquicubitales longi, ſtriati, latiuſculis foliis è geniculis donati; longiuſculis, aceroſis, loliaceis, ſpicatis, ſparſis, imbricatis glumis faſtigiati. Incultis locis agri Londinenſis gaudet.

Gramen murorum.
Inter Avenacea Gramina aliud murorum Gramen.

Radix capillaris, ſubfuſca, ut Graminis Canini ſeſe propagans: Culmi pedales, geniculati. Huc Gramen Avenaceum glumâ utrinque pinnata referri poteſt, aliaque Avenacea Gramina tenuiſſimâ glumâ prædita.

Gramen quodammodo ſupinum vulgare, latiuſculo, binum & ternum unciarum complicato folio.

Glabretis gaudet: caulis pedalis: Graminis vulgatiſſimi panicula, denſior magiſve ſpiſſi. Suburbano rure Londinenſi Epiſcopi Portæ provenit, ubi lateres crudi & cocti parari ſolebant, agilloſo glabro ſolo.

Gramen

Gramen maritimum vulgatiſsimo pratenſi Gramini congener, aut ſimile.

Hoc gramen radice capillata craſſiore maritimis litoreis Kantiæ oritur, albi dilutioris coloris, unciæ, ſeſquiunciæ, aut duarum unciarum longitudinis. Folia unius, binum & ternum unciarum, ſchoenanthi modo congeſta è folio aut folliculo prodeunt, ex imo unciali, lato, compreſſo inſtar Vaginæ educto. Culmi item ternum, quaternum & quinum unciarum folioſa vaginula decluduntur ex ſecundo emanant culmi geniculo. Spicæ ſpecioſæ, ſparſæ, Panici ſylveſtris ritu, ſeſquiunciales, binum unciarum, ſubrubentes.

Gramen maritimum alterum, ſive ſecundum elatius.

Alterum ternum unciarum ſpicis aut paniculis albis, arctioribuſque: conſimili natali ſolo gaudet. Caulis pedalis, aut altior, cu-

cubitaliſve: cætera haud diſſimilia.

Gramen maritimum tertium vulgari ſimile, ſupinum, exigua Avenacea gluma.

Pedem æquant ſtipulæ, altioreſve, tenues, geniculatæ, foliis longis rigidis tenuibus junceis præditæ, glumis teretibus exiguis & oblongiuſculis digiti parvi tranſverſi longitudinis faſtigiatæ. Radix albida, fibrata, tenuiſſima, quæ reptatu propagatur inſtar Canarii Graminis. Armento in fæno, uti plura alia Gramina, gratum. Maritimis gaudet Anglo-Britanniæ meridionalibus Kantiæ.

Graminis dulcis nomine D. Lob. miſit 2. in Prod.

Gr. exile tenuifolium Canariæ ſimile, ſive Gr. dulce Park. Theat. Botan. pag. 1174. ſine Icon. e Lob. MS.

Gramen dulce udorum.

E tenella, albida geniculata, reptrice radice ſubfuſcis fibris donata, folia edit viridia Graminis Canarii, mollia; & tenellos geniculatos pedales & cubitales culmos, paniculis elegantioribus ſparſis Pratenſis Graminis vulgatiſſimi faſtigiatos. Radix, uti tota planta, Polentæ inſtar ſubdulcis. Udis Londinenſis agri juxta Thameſis amæniſſima fluenta, aliiſque etiam editioribus agrorum humidis viarum marginibus rivuliſque gaudet. A grege expetitur.

Gramen

Gramen Xerampelinum exile Narbonenſe etiamque Anglo-Britannicum aut Belgicum; ſic a panicularum & ſtipularum exilitate, elegantiſſimo colore nitente purpureo, qui in Gallia Narbonenſi aut Gallo-Provincia præfertur, dictum.

Perperam Anglo-Britannico vernaculè tranſcriptori Dwarf-Graſs, id eſt, Pumilio: longè autem minora humilioraque reperiuntur Gramina, de quibus ſuo loco.

Squalidis Narbonæ incultis agris & vinetis glareoſis ſabuloſis hoc perelegans & prætenue Gramen ſæpius legimus, minimumque olim diximus ob gracilitatem; ſed longè minora, exilioraque & humiliora Gramina nobis reperta. Perpuſilla, capillata & albida radix: calamuli item exilitate capillamentis ſimiles dodrantales, eleganti purpurâ Xerampelinâ, cum panicula mollicula, latiuſcula, nitida, ſpecioſa, ſericea, lucentes.

 Iſtud

Iſtud idem perelegans gracile Gramen in Anglo-Britanniæ clivoſis variis locis inter ſegetes deſertiſque agris, etiamque editis pratenſibus, paſcuiſve ſiccioribus ruris Londinenſis ſæpiſſimè collegimus: vago radicis reptatu ſummo ceſpite propagatur: ſed non æquè molle, aut ſericeâ ſpecioſâ paniculâ, ac in Nitiobrigum vel Monſpelienſi agro, ob ſoli & cœli ut plurimum afflatum humidum, gelidaſque & roſcidas pruinas, imbreſque frequentes & plerumq; aſſiduas, arva & prata creberrimè irrigantes; quo fit ut in hac peramæna Inſula maximè peregrinis favente plantis, adeo ut plurimum præ humido nimio luxurient herbæ, facilèque mutentur, ut eaſdem minimè, ſed diverſas ſpecie dixeris, id quod tam colligentibus, quam idiotis tyronibus earum deſcriptiones exhibentibus, ſæpe imponit, ut unam eandem plantam pro diverſis ſæpè dent deſcribantque, quo lucubrationum ſuarum, perverſis alienis laboribus, inanes copias oſtentent, augeantque; ſtudioſorum incommodo & ægrotantium damno. Adde quod D. Boelius inſignis Botanicus Belga periculo facto teſtatur

ſtatur Xerampelinum Gramen tenuiſſimum, alterum alteri innatum degeneraſſe in vulgare Xerampelinum.

Varietas. Omni ſui parte grandeſcit & luxuriat in ſegetibus & cultis.

Xerampelinus color medius eſt inter coccineum & muriceum, defluentis vitis rubræ foliis ſimilis: Hoc non intellexiſſe videtur Londinenſis vernaculè tranſcriptor, Latinitatis neſcius. Reverà miror bonum virum nullam feciſſe mentionem conſimilium hujus familiæ Graminum quæ Londinenſi agro luxuriant. Veriſimile eſt, ex Iconibus alienis, potius deſcripſiſſe ſuam Plantarum congeriem, quam iterata inſpectione in agris, ubi magna gliſcit copia. Dodonei totum volumen, à D. Prieſt, impenſis D. J. Norton vernaculè tranſlatum, Adverſaria noſtra, & meas lucubrationes, & aliorum opera corraſit, nomina indidit quadam metamorphoſi, modo ex uno, modo ex altero, modo ex intermixtis omnibus, pro ratione hodierni Anglo-Britannici idiomatis ditiſſimi.

Gramen

Gramen Xerampelinum Miliacea prætenui ramoſaque ſparſa panicula, ſive Xerampelino congener arvenſe æſtivum Gramen minutiſsimo ſemine.

Mollitie delicatiore foliorum, & cubitalium ſeſquicubitaliumque culmorum, exilitate Xerampelinum Gramen æmulatur, jubata, inſtar p'umei faſciculi, ſparſa elegantiſſimis puſillis nitidioribus thecis rotundioribus levioribus tunicis tectis prædita, in quibus ſemen minutiſſimum, teres, oblongum, fuſcum, prægnans. Radix capillaris tenuiſſima. Aridis arvorum marginibus gaudet arenoſiſque. æſtivum eſt.

Varietas. Foliorum ſtipatu, pedalibuſq; item culmis variat.

Xerampelini facie elatius Gramen, ſive maximum udorum, & rivulorum. Idem cum Xerampelino creditur, grandius tamen & durius, forte a loco.

Radicis reptatu, foliis & ſtipulis geniculatis ſeſquicubitalibus, bicubitalibus, Canarium Gramen refert; Paniculæ aliquantulum latiores, aceroſæ Xerampelini majores & duriores.

Varietas. Colore albo variant paniculæ.

Gramen pratenſe durius Xerampelini Graminis prætenui ſparſa gluma.

Stipulæ craſſiores, geniculatæ, tricubitales, & folia cubito longiora, duriora & anguſtiora. Radice item durâ, craſſis longioribus fibris donatâ ſeſe propagante.

Varietas. Folio latiore ſtriato variat; geniculatis,

geniculatis avenaceis craſſioribus culmis tri-cubitalibus.

Xerampelino arvenſe congener Gramen minutiſsimo ſemine, annuum.

E fibroſa albaque radice folia edit latiora, & geniculatos avenaceos binum & ternum cubitorum culmos, tenuiſſimis pulchellis Xerampelini Graminis paniculis, exili ſemine præditis, faſtigiatos. Oritur in ſegetibus: annua planta.

Gramen arvenſe ſegetum aridorumque locorum æſtivum alterum.

Hoc æſtivum Gramen foliis & paniculis Xerampelini graminis. Alitibus ſemen, uti aliorum Graminum, gratum.

Gramen durius udorum.

Ex albida craſſioribus fibrata filamentis, radice, folia edit ſpithamæa & cubitalia, inflexa uti Sparti folia. Culmi ternum & quaternum cubitorum geniculati Paniculæ Xerampelini Graminis; ſparſæ, ex glauco argentei coloris: Semen longiuſculum & majuſculum, pratis udis oriundum.

Anglo-Britannicum Panici effigie Gramen ſylveſtre.

Pedali geniculato, tenui culmo, ſecundum genicula alis diviſo & foliis Graminis pratenſis donato. molliuſculis, tenellis, latiuſculiſque, supernè anguſtioribus; longitudinis ternum, quaternum, & quinum unciarum. Tenues item cuſpidatæ, aſperiuſculæ, nonnihil hirtæ unciales ſpicatæ Panici Graminis pa-

Gr. Paniceum ſyl. Ang. & Afric. Park. pag. 1155. *Theat. Bot. ſine Ic. è Lob. MS.* Where you are ſaluted with this Plant as unmentioned.

paniculæ, ſingulis culmorum faſtigiis, ſingulæ. Radix ex albo ſubfuſca, capillata, binum & ternum unciarum. Guſtus gramineus, ſive herbaceus. Provenit in Anglo-Britanniæ glareoſis, ruderibus etiamque herbidis occurrit.

Panici effigie Africanum ſylveſtre Gramen.

Non adeo facie à ſuperiore diſſident inter ſe. Culmi item pedales, geniculati; ſuperiora promens folia latiora, tenuiora, graminea, ternum aut quaternum unciarum. Spicæ ſeſquiunciales, aut binum unciarum, hirſutæ. Inferna folia anguſtiora, ſpithamum longa. Radix fibrata ſeſquiunciam longa, ex ſubflavo albida. Oppiduli Sanctæ Crucis vocati maritimis oritur.

Gramen Leucanthemum Aquitanicum non hirſutum nemorenſe Boelii.

Hujus claſſis pulcherrimum eſt iſtud Gramen indictum capillacea radice, ex fuſco ruf. feſcente: foliis brevioribus: quinum aut ſenum unciarum gramineis foliis præditum Coma quampluribus congeſtis floribus amænis albis decorata, ſimilibus Graminis Phalaroidis tremuli capitulis (congenerem Plantam multi opinati ſunt) quia ejus flores itidem tremuli ſunt. In Aquitaniæ ſylvis aut ſylvoſis provenit prope Bayonam vocatam hodie. Floret Martio.

Gramen exile durius.

Varietas à loco & ſolo. Iiſdem conſimilibuſque natalibus longiuſculis, tenuiſſimis foliis, cirratiſque & capillaribus radicibus variat.

Gramen tenue molliuſculis foliis maritimum.

Gr. avenaceum exile mollicellis foliis Park. pag. 1150. Ic. 11. Th. Bot. è Lob. Ms. He there moſt falſly gives this Plant as of late obſervation, and not ſpecified that he knows by any before.

Iſtud omni ſui parte & mira ſimilitudine duriori gramini ſupradicto admodum proximum, ſed folia paulò latiora, & molliora, uti tota planta, eoq; gregi oviario gratiora dulcioraque.

Gramen minimum Anglo-Britanicum.

Arenoſo ſolo verſus Oceanum aliquot miliaribus à Lio, prope Thameſis oſtia oritur, folia admodum exilia, plura ſimul congeſta, unciam & ſeſquiunciam longa: cauliculi ipſis foliolis paulo longiores, in quibus arctiores eminentiæ, raras ſpicas parvulas referentes.

Gramen

Gramen exile vicinorum maris aggerum, numeroſa gracillimorum latiuſculorum uncialium foliorum ſobole.

Sex miliaribus Anglo-Britannicis à Lio, non procul ab ædibus D. Wedſton oritur, digitales, unciales & ſeſquiunciales emittens cauliculos, congeſtis Salicis maritimæ minoris catulis confertos, coryllis ſtipatim inter numeroſa folia præditos. Radix exigua capillaris. Hæc ſupradicta exigua & tenuia maritima gramina oviaria depaſcitur.

Gr. exile vicinorum maris aggerum Park. pag. 1278. ſine Ic. Th. Bot. è Lob. MS. Among his names he glories that it hath not been remembred by any Author before.

Gramen omnium minimum Anglo-Britannicum alterum.

Exile admodum iſtud omni ſui parte, unguem vix excedens. Aridis locis montoſis & ericetis, provenit.

A juvenilis ætatis annis 16. me voluptas & deſiderium cognitionis Plantarum Materiæve Medicæ cœpit. Cum Davide propheta dicam, Supremum Jehovam collaudat anima mea, tot ejus beneficiorum memor, qui nos aluit, fovit, & à morbis perniciabilibus vindicavit quinquaginta annis dum peregrinando medicaremur, diſcendi aviditate, in viridem uſque ſenectutem protegit. Cum Hippocrate Medicorum Principe fateri auſus ſum: inquiens, Senex factus ſum, necdum Medicinæ finem attigi. (Epiſt. ad Damagetum.) Scioli tamen hujus deploratiſſimi & perditiſſimi ævi, faſtu & fuco turgidi medicaſtri omnia nôrunt, aureoſque montes garrulitate ægris ſuis pollicentur chymicè. Utinam illis ſeſe non immiſcerent docti viri, & Botanicum ſtudium promoverent; Pharmacopæos docerent; ignaros excluderent; indoctis pharmacariis fidem adhibere non deberent Medici periti, ne cœcus cœcum ducat; melius ageretur de Re-publica. Nonne pudet non noſſe Gramen Medicatum ubique terrarum importuno proventu luxurians? Matthiolus ipſe celebris quondam

Botanographus

Botanographus nequedum Gramen Medicatum novit, Iconem confudit, ut cæteri ferè omnes. Univerſæ tamen Belgii, Galliæ, Germaniæ, & Italiæ Officinæ, cum peritioribus & politioribus Britanniæ pharmacopolis non alterius Graminis Canini radicibus quam noſtri utuntur, quod Lutetiæ Pariſiorum, lippis, tonſoribus, olitorumque fori mulierculis notiſſimum, cujus radicum decocta ad vermes necandos, calculos exterendos natis ſuis præbent. Lemani agri finitimæ urbes Lauſana & Geneva, radicibus teretibus Graminis Canarii utuntur bulboſa radice, perinde efficacibus; quemadmodum Londinenſes quidam peritiores. Monſpelienſes Norbonenſes (Languedoc) & Gallo-Provinciales radices geniculatas Canini Graminis Iſchoemi paniculis ſumunt: de quibus infra dicetur. Mirum Medicorum & pharmacantium turbæ hæc medicata Gramina hactenus adhuc ignota. Matthioli mutilam & depravatam Iconem exhibuit Lugdunenſis; Iconem Dodonei ſubjunxit pro diverſis, cum eadem ſint; miſcet, diruit, in luto cum aliis hæſitat, & periclitatur. Londinenſis

dinenſis effigiem veterem Dodonei ex Tabernæmontano ſuppoſuit: In Pemptadibus novam non multo meliorem dedit Dodon: Omnes ſeſe ſequntur: exactiorem, maturam, ex vivis Naturæ typis cum multis aliis congeneribus exhibeo, fictis imaginibus minimè fidem adhibens.

Gramen maritimum vulgato Canario ſimile.

Park. pag. 1278. *Th. Bot. è Lob. MS. ſine Icon.* Among the names he propoſeth the 1 and 3 ſorts to be mentioned by *Lob.* but the 2 (which is our preſent Plant) not to have been remembred by any other Author before.

Sed quod fundunt Anglo-Britannica & Belgica Oceani littora, ſtriatum, ſtrigoſius & gracilius eſt, alioqui tota facie nequaquam variat. Ad maris alluviones naſcens, ſalſum eſt, rigidioreque folio & ex viridi cæſio. Mediocaſtri (Middelbourg) Zelandorum repertu facile circa portus oſtia, & Maritimis Comitatus Kantiæ.

Varietates. Magnitudine variat cum radicum tum foliorum & ſpicæ aceroſæ & ſeſquicubitalium culmorum.

Ibidem

Ibidem loci pedali culmo reperitur, ſpica item breviore & minore: radix verò prolixè ſummum cæſpitem perrepit.

Duplicis ordinis ſpica variat; cætera eadem cum ſuperiore.

Gramen aquaticum longius radicatum ſpicata Avenacea gluma.

Cum Gramine Canario maritimo ſapore & facie congener. Culmus bicubitalis; Radices Canarii Graminis, graciliores, ſubalbidis craſſioribus fibris præditæ. Folia prædura, longa anguſtáque. Ad Thameſis fluenta juxta Ratle provenit.

Gramen Alopecuroides majus alterum villoſum.

Variat à ſuperiore apiculis ſpicatiſque caudis & foliorum numero, Iiſdem gaudet natalibus.

Gramen Alopecuroides minus alterum.

Idem fortè cum mox ſubdendo aut ejus varietas, ſed minus acuta & mucronata aſperaque ſpica.

Gramen Alopecuroides, aut Myoſuroides mucronatum minus alterum.

Tertium ſubdemus Gramen Alopecuroides, juxta vias, agrorum foſſas & margines, cubitali, & bicubitali culmo, pauxillis foliis, ſed longioribus, gracilioribus, ſpicatis mucronatis caudis, oriundum.

Gramen Phalaroides longioribus anguſtis ſpicatis torulis paniculatum.

Segetibus agrorum marginibus & pratenſibus

tenſibus ſecus vias aliquot nobis ſæpè reperta Gramina quæ hoc loco collocari debent. Culmus ſeſquipedalis; panicula palmum æquat, oblongis Phalaroidis Graminis palmum æquantibus ſpicatis, ſquammatis aceroſis glumis, cirris appenſis conflata, & apiculis avenaceis prætenuibus faſtigiata Avenæ ritu. Convenire videtur cum G. Alope curoide majore altero.

Gramen tremulum minus alterum Aquitanicum.

Gramen Leucanthemon Guil. Boelii.

Iſtud mihi communicatum fuit à viro amiciſſimo Guil. Boelio Simplicium ſi quis alius ſtrenuo exploratore. Caulis ut ſuperiorum, geniculatus. Folia ut maximi Gr. tremuli, longa, & frequentiſſima capitula ſquammoſa, multo minora quam ſuprascripta, candida, unde Leucanthemi nominis occaſio.

Non prorſum quadrare videtur cum Gr. tremulo minore C. Bauhini, quamvis folium quod culmum cingit ſit involucrum initio glumarum; radix non vagatur, culmi duntaxat palmares. Variare tamen poteſt à natalibus; nam hujuſmodi tremula Gramina parvula obſervavi in Cretaceis collibus Kantiæ Graveſandiæ proximis.

Gramen Typhinum, vel Typhæ effigie Cylindria ſpica.

Gramen Typhinum, ſive Typhoides maximum.

Quadrare videtur cum Gramine Typhoide maximo C. Bauhini.

Incultis & pratenſibus, variis locis hoc maximum Typhinum Gramen provenit, omni ſui parte vulgatiſſimo Typhino Gramini quadruplo majus: ſeſquipedali & bipedali tereti caule Cylindri figurâ ſeſquipalmari ſpicatum: cætera conveniunt.

Varietas. In ſpica breviore differentia, &

& culmis binum, ternum & quaternum cubitorum; cuſpidatiſque aliquantulum.

Gramen Typhinum minus Danicum.

Tota eſt hæc Typhini Graminis ſpecies ſimilis; foliolis & dodrantalibus geniculatis pedalibuſque culmis; ſed breviore multo, vix unciam ſeſquiunciamve æquante, aliquantulum aſpera, arguta, tereti ſpica, & culmus, ima ſui parte, gemino tereti oblongo bulbillo ſtriato, foliaceis involucris tecto, alteri altero incumbenti, donatur. Hoc amæno cœmeterio ſuburbano Hafniæ, (Copenhave) Metropolis Selandiæ Danorum eradicavi, campeſtri urbis ſitu.

Park. pag. 1170. ſine Icon. Th. Bot. è Lob. MS.

Gramen Typhinum alterum, ſive Zelandicum.

A ſimilitudine ſubjungere viſum fuit Gramen geminis nodoſis radicibus ſibi mutuò incumbentibus præditum, quibus radicum fibræ adhærent. Devexis agrorum

Park. ibid.

rum

rum marginibus; folio, culmo dodrantali Graminis montani & Typhoidis parva ſpica inter alia Gramina erutum memini in Zelandia Belgia non procul Mediocaſtro.

Gramen Typhinum minus Harlemenſe Batavum.

Park. ibid. Where he informs you that theſe 3 have their names in their titles, not being mentioned by any before.

Simile Danico ſpica & foliolis, ſed minus, & nodoſis tuberculis ſupra tenuem cirratam radicem orbatum. Sabuloſo Harlemenſi ſolo apud Batavos oritur.

Britannicum Gramen Criſtatum, & Gr. Criſtatum C. Bauhini.

Cirratarum radicum, foliorum, cubitalium, bicubitalium aut ſeſquipedalium culmorum à criſtatis palmaribus, dum curvantur, ſpicis, Criſtam Gallinaceam æmulantibus hoc Criſtatum Gramen ſcitè à Cla. C. Bauhino vocatum fuit. C. V. D. D. Jacobus Cargillus,

Cargillus, D. C. Bauhini quondam auditor, hujus ſtudii, omniumque Medicinæ partium doctiſſimus, hoc Gramen Londinenſi agro mihi pro legitimo Gramine CriſtatoBauhini demonſtravit: poſtea tamen ex literis gratulabundis præfati Bauhini illum innuere aliud Gramen, cujus ad me miſit iconem, percepi. Illud radicum cirris, foliis longioribus erectis, ſeſquicubitalibus culmis, palmaribuſque ſpicis præditum eſt, diverſum ab iſto altero miſſo, quod foliis eſt brevioribus, latioribuſque & ſparſis. Hæc Gramina Alopecuroideis Graminibus in Stirpium Illuſtrationibus annectere, quadam ſpicarum proximitate & ſimilitudine, libuit; quo nihil frequentius juxta Hackneum Londinenſis agri, variis editis & devexis pratis, (aliiſque multis locis tranſmarinis) ubi à ruſticis, uti nonnulla Gramina, ſtoreis, pergulis, tranſennis, topiariis, coronariiſque operibus arte manuque paratis, elegantiſſimè invicem annexis, concinnandis, æſtivo tempore, aulis & caminis ornandis aptum.

Varietas. Unam tamen & eandem eſſe volunt peritiores Botanici, ſed variare à loco & tempore.

Varietas

Varietas altera. Iiſdem natalibus quandoque multiplici elegantiſſima ſpica occurrit. Nihil à præcedente Anglo-Britannico differt. Caulis cubitalis.

Oxyagroſtis pumila, ſive Calamogroſtis Iberiæ acuta.

Oxyagroſtis pumila Hiſpanica, Park. pag. 1187. ſine Ic. Th. Bot. è Lob. MS. The 3 is not mentioned by any before now.

Iſtud acutum Gramen nobis largitum eſt ab honeſtis: Viro botanico Franciſco Viau Salmurienſi, quando Luſitaniam aliaſque regiones in ruſticationibus ſuis perluſtravit. In binas aut ternas attollitur uncias: Folia crebra, rigida ſemiuncialia, pungentia, cauliculi toroſis ſpicis Holoſtii Monſpelienſis ſemiunciæ longitudinis præditi. Radix geniculata Canini graminis. Montoſis Iberiæ provenit, aut Celtiberiæ, vulgo Biſcayes. Nomenclatura pecori ingratum indicat.

Gramen

Gramen tenuifolium exile Britannicum, ex genere Xerampelini Graminis.

Parilitate Gram. Canario ſupino ſimile: ſed folia longè graciliora Spergulæ Brabantorum ſimilia. Paniculæ tenues Graminis Xerampelini. Naſcitur in arvis Britannicis ſabuloſis & ſqualidis.

Gramen ſupinum Monſpelienſe.

Park. pag. 1174. icon. 5. Theat. Bot. è Lob. MS.

Annis elapſis 1607. Monſpelio ad me miſit hujus Graminis Iconem apprimè elegantem, ære excuſam, cum Sparto parvo & Seminibus exquiſitis C. V. D. P. Laugier, D. Medicus in Schola Monſpelienſi, cujus memini. Superioris Brabantini Graminis ſupini quodammodò ſimile; geniculatis calamulis caducis humum perreptans, & ſecundum foliata genicula fibroſis radiculis ſummum humum ſugentibus. Demenſum plantæ,

neque natales indicavit: plantam ipſam expectabo.

Gramen maritimum Vectis Inſulæ Anglo-Britannicæ.

Radix circa genicula rubet, vagaturque. Juxta refluxus & maris alluviones oritur. Cætera utut conveniunt.

Gramen geniculatum parvum arenoſorum aggerum maritimorum Zelandiæ longius radicatum.

Hoc & ſequens Gr. nullibi reperi præterquam in ſabuloſis aggeribus & arenoſis Maris obicibus Walachriæ Zelandorum (reperiri poſſe etiam arbitror aliis ſimilibus locis marinâ aurâ afflatis) vernaculè Duyven dicuntur, inter Santlandiam (Santelande) oppidulum bello dirutum, & Iſelhouck vocatum. Rapſodus Tabernemontanus cum ſuis aſſeclis tam Germanis quam Anglo-Britan: hic fallere & alibi ſolitus, fallitur;

tur; cum hæc Gramina & pleraſque paſſim icones alienas cum noſtris, oratione natalibuſque adumbrare conatur, eaſque catè quantum poteſt, ſuppreſſis authorum nominibus, & laborioſis ſudoribus, ne aperta laterna furtum detegatur, verbis ornare. Hoc maritimum Gramen foliis exit ſpithamæis; è quibus geniculati culmi exeruntur dodrantales & ſpicæ aceroſæ Graminis Canini breviores multò durioreſque. Radix geniculata prolixè per arenam reptatu vagatur, Canarii Graminis inſtar.

Gramen geniculatum alterum aggerum Zelandiæ.

Alterum ortu, natalibus, durioribus foliis & radicibus non diſparibus neque diſſimilibus; ſpicæ tamen ſupplent vicem aceroſa inter foliola, capitula. Utrumque ob duritiem pecori minus gratum.

Gramen Ichoemum Africanum perenne.

Deſertis Africæ locis oriundum quadripartita ſpicata gracili granata ſpica digitatim ſparſa duas uncias longa. Spithamæus culmus, folia anguſtiora, radix Canarii graminis, ſed omnia minutiora & elegantiora. Oritur in campis Sophiæ oppiduli.

Alopecuros altera Anglica, ſive Flandrica.

Park. pag. 1166. Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.

Seſquimilliare Flandrico à celeberrima Brugenſi civitate juxta Moerbeke aliud Alopecuri genus, culmo bicubitali, radicibus & foliis non abſimile, ſed minore multò & breviore minuſque villoſa caudata ſpica.

Gramen

Gramen Alopecuroides Africanum Boelii.

Arenoſis ſiccis Sophiæ campeſtribus oritur palmari Alopecuri caudata ſpica, Anglo-Britannicæ anguſtiore & duriore: geniculato pedali culmo, crebrioribus internodiis prædito juxta radices. Fruſtulum tantum radicis aſſequi potui.

Park. pag. 1167. Icon. 2. Theat. Bot. è Lob. MS.

Gramen cuſpidatum Alopecuroides majus Avenacea gluma.

Ejuſdem claſſis hoc Gramen erit cum Alopecuroideis; nobis cuſpidatum vocatum à mucronata ſpica cuſpidis, lanceolæve inſtar; imâ ſui parte latiore, in acutum faſtigium deſinente, è multis avenaceis glumis, aceroſis, effigiata; ex geniculata tripedali aut ſeſquicubitali ſtipula; in qua pauciſſima triticea folia, ſed admodum brevia

G. cuſp. Alop. majus, Park. pag. 1167. ſine Ic. Th. Bot. è Lob. MS.

via & veluti decurtata. Cætera ſuperioribus Graminibus non diſſimilia.

Gramen cuſpidatum Alopecuroides latiore maximaque panicula Avenacea gluma.

Gr. Alopecuroides cuſpidat. maxim. Angl. Park. pag. 1167. Theat. Bot. è Lob. MS. Among the names you may read him inſulting, thus; To the 3 and 4 We have given titles.

Perelegans iſtud Graminis genus nobis primum repertum declivitatibus pratenſibus inter Iſlington, & altam Portam, vernaculè Highgate, in publica ruſticatione ſive exherbatione peramæna cùm D. D. Rich. Fauſterum, quondam inclyti Collegii Medici Londinenſis Præſidem, & D. D. Franciſ. Heringium, ſocietatis præfati Collegii comitaremur. E capillata radice folia Graminis arundinacei, ſtriata, viridia edit, & geniculatum bipedalem & bicubitalem culmum, paniculа elegantiſſima cuſpidata, uncias quatuor longa & unam infernè ad baſim lata, faſtigiatum; ſtaminulis & apiculis florum albidis,

albidis, aliorum Graminum aut Secalis inſtar è congeſtis acervatim & ſpicatim, Avenaceis glumis prædita.

Gramen cuſpidatum tenui, toroſa villoſa ſpicata gluma Panici granulis prædita.

Seſquiſpithamæus & pedalis culmus quaternis geniculis donatus: ima folia ſeſquiuncialia: quæ verò internodiis exeruntur latiora & longiora ſunt, & ternas aut quaternas uncias æquant. Radix exilis fibrata, ſeſquiuncialis. In comitatu Kantiæ Anglo-Britannorum reperit Boelius.

Gramen hirſutum Nemorum latioribus majoribuſq; foliis præcox Vernum.

Repértu facile ſilvis & ſilvoſis *Gramen nemorum hirſutum majus alterum præcox tuberoſa radice, Park. pag. 1186. Ic. p. 1185. Th. Bot. è Lob. MS.*

marginibus

marginibus altæ Portæ, quatuor Milliaribus Londino diſſitis: folia altero tanto latiora, pilis item multum hirtis prædita, coloris ſaturæ viriditatis. Calamuli perſimiles & æquales fere, ſummo partiti ſparſive; floſculi quoque non valde diſſimiles. Radices denſe capillatæ, ſubfuſcæ, torulo aut nodulo ſub fibris condito, mediocrem Tormentillæ radicem æquante, preditæ.

Gramen nemorum hirſutum minus, anguſtifolium.

Lob. renders this a diſtinct Plant, yet *Park. pag.* 1186. *Theat. Bot. è Lob. MS.* Who raviſhes the choyceſt Materials for his Theater from thoſe learned Monuments, places it with the *Gramen hirſutum capitulis Pſyllii Bauh. Pin. pag.* 7. Which is the *Gramen exile hirſutum Cyperoides, Lob. Ic.*

Iiſdem altæ Portæ ſilvis cum ſupradicto hirſuto latioribus foliis Gramine, aliud longe aut altero tanto minus reperies: foliis anguſtis, denſe itidem ſtipatis, & hirtis ſtipulis ſpithamæis: Radice item multum denſe fibrata, ſubfuſca, minorique panicula. Diverſum hoc Gramen eſt ab inſraſcriptis

ſraſcriptis Graminibus D. C. Bauh. & D. J. Dalechampii. Varietas radicibus grumoſis.

Gramen hirſutum minus nemoroſum latiuſculo folio.

Iſtud quovis prædicto gramine minus, tum caule cum ſimili ſtipula, flos & ſpica comoſa lanugine rubiginoſa, magis compreſſa & contracta, quadam æmulatione ſive imitatione: Radix ſylveſtris Cyperi, villoſis cirris obſita. Agrorum marginibus, udis, ſabuloſis, Galliæ, Anglo-Britanniæ, Belgii, conſimilibuſque, quibus echinatum Gramen natalibus frequentiſſimè gaudet. Foliis latioribus aut anguſtioribus variat.

Gramen hirſutum, ſive exile ferrugineum, Park. pag. 1186. ſine Icon. Theat. Bot. è Lob. MS. Where you find him diſcourſing, that the 8th is not mentioned by any before now.

G. Anglo-Brit. exilis hirſuti Graminis differentia Boelii.

Diſſimilitudo quædam in parum hirtis, binum, ternum & quaternum unciarum foliis, & conoidis paniculis, Junci concoloribus: tenues, ſpithamæi cauliculi: radix ſubfuſca, capillata. Satis quadrat hæc Planta cum Gramine tenui Cyperoide Nortvegico.

Calamogroſtis ſilvæ D. Johannis.

Calamogroſtis noſtras ſylva St. Joh. Park. pag. 1180. Icon. 1189. Theat. Bot. è Lob. MS.

Arundinaceum Gramen ſilvæ D. Johannis ulterioris Alta Porta, vernaculè Highgate, Agri Londinenſis, idem aut parum differre videtur à tomentoſo arundinaceo gramine plumoſo vocato. D. Boelius tamen inficiatur & differre aſſerit. Culmi tricubitales & ampliores, internodiis aliquot prædititi, folia binum cubitorum in acutum faſtigiata, ſtriata, duplo Graminis ſtriati arundinacei albi auguſtiora.

ra. Paniculæ ſpicatim coactæ, pedales & nonnunquam cubitales, aceroſæ & ex parte ſericeæ toroſæ coloris ex Xerampelino ſubglauci, Radix alba, craſſioribus fibris donata, quæ quodammodo, uti Graminis Canini radix propagatur.

Calamogroſtis toroſa panicula.

Foliis & radicibus graminibus prædictis utcunque ſimile, ſed mollioribus denſeque ſtipatis. Pratorum & agrorum marginibus frequens Anglo-Britanniæ, & Zelandiæ. Paniculis toruliſq; pluribus conflata, uno ordine verſa, plana, floſculis & ſtaminulis gramineis aut ſiligineis ex luteolo purpurantibus. Pabulo bobus, ut ſuperiora duriora gramina contemptiſſima. Arctiore ſpica variat.

Park. pag. 1182. *Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.* The 5 is not mentioned by any Author before.

Calamogroſtis altera gluma aceroſa Nortvegicæ ſimilis Anglo-Brit.

Park. ibid. è Lob. MS.

Stipulis & foliis Nortvegicæ perſimilis, juxta radicis cervicem Mei modo glomeratis torulis, paniculis mollioribus: non procul Hackneo Londinenſis ruris, udis provenit.

Calamogroſtis aquatica Anglo-Britannica aceroſa gluma.

Gramen Arundinaceum aceroſa gluma noſtras, Park. pag. 1273. Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.

Culmos edit tricubitales, geniculatos, avenaceos, aut triticeos, craſſos; folia latiuſcula non abſimilia, aut Miliacea, duriora, aſperiora, & ſtriata: ſpicatim aceroſæ glumæ, albæ, ſpithamææ longitudinis. Radix geniculata, longis, gracilibus, ruffeſcentibus fibris capillata juxta internodia. Rivulorum & Scrobium

bium marginibus provenit non procul Londino, via qua itur Ratleam.

Variat gluma aliquantulum Xerampelina.

Gramen arundinaceum ſericea molliore & graciliore ſpica aquaticum.

Calamogroſtim ſupradictam æmulatur, minus tamen; anguſtioribus foliis: graciliore binum cubitorum ſtipula, rarè geniculata. Conſimilibus gaudet natalibus. Semen & floſculi Schoenanthi, evolant in auras.

Gramen Arundinaceum ſericea molliore ſpica, Park. pag. 1273. ſine Icon. Theat. Bot. è Lob. MS. These 2 are of latter invention, none having publiſhed any of them before.

CYPERI

CYPERI EFFIGIE GRAMINA DURIORA, & JUNCEA.

SUmma, Candide Lector, juſtiſſimi benigniſſimique Cœleſtis bonitas, irritum nihil in humanum uſum creavit; quare Vir prudens Divina opera non faſtidit: Viperea attamen ſcioli, æruſcatoris, medicaſtrive aut Zoili Medici, vel mendici adulatoris ſericati, aſſentatoris & periclitatoris (potius quam boni Medici) impietas harum Dei divitiarum, ſimplicium Medicamentorum & compoſitorum neſcia, illiberaliter hæc aſpernatur, doctoſque fideles Medicos garrulitate nefaria excludit; ipſumque Hippocratem, ſi ſuperſtes, expelleret.

Gramen

Gramen Cyperoides Danicum glabrum foliis Vetonicæ Caryophilleæ, anguloſo caule.

Sed iſtud arenoſis maritimis incultis, non procul ab arce regia Cronenburg: Selandiæ Danorum inter Pulſatillas naſcens, foliis glabris, rigidis, anguſtis, ternum & quaternum digitorum, palmares nudoſque cauliculos edit, aceroſis, toroſis oblongioribus Junci ſpicatim paniculatis faſtigiis, uno aut altero ſuborto foliolo donatos. Radix longe lateque repit. Uſus nullius.

Gramen Cyperoides Danicum glabrum fol is Caryophylleis, Park. pag. 1268. *Icon.* 1267. *Theat. Bot. è Lob. MS.* You meet him there in his old Dialect, that it hath not been ſet forth before now.

Gramen Cyperoides foliis Vetonicæ Caryophyllatæ frequentiore grano ſpicatum.

Cubitalis fere planta, caule anguloſo, floſculis

floſculis ſubluteis, Siligineis, utriuſque ſpicæ longitudine tranſverſum digitum æquant: Iiſdem natalibus gaudent quibus ſuperiora.

Aliud ſolo rariore grano ſpicato differt. Magnitudine variat.

Gramen Cyperoides aculeatum, ſive echinatum aquaticum alterum.

Hoc graciliore ſpithamæo caule parvis compreſſis paniculis præditum, conſimilibus aquaticis locis gaudet.

Gramen Cyperoides echinatum montanis planis oriundum.

Gr. Cyperoides echinatum montanum Park. pag. 1172. *Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.*

Natales nomen ſatis indicat: capitulis & aculeatis paniculis ſupradicto aſſimilatur: tenues item triquetri cauliculi, itidemq; ſpithamæi.

This hath not been written of by any before, and therefore the Title is ſufficient to diſtinguiſh.

Gramen

Gramen aculeatum Bayonenſe paluſtre, paniculato toruio.

Paniculas ſpicatas aculeatas veluti decurtatas profert; ſupereminentibus palmo, anguſtioribus foliis: cauliculis exilibus pedalibus & ſeſquipedalibus. Radices capillamentis craſſioribus uti ſuperiorum Graminum fibratæ multa longiuſcula edunt folia. Reperitur in paludibus Bayonenſibus cum altero ſequenti Gramine.

Gramen Cyperoides Bayonenſe paluſtre longiuſculis ſpicatis paniculis aculeatis.

Magnitudine & omni ſui parte *Gr. Cyperoides paluſtre Bayonenſe, Park. pag.* 1268. *Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.* Where he comes off with a Never ſet forth before now.

venit cum ſuperiore: Spica unciam æquante, aut paulò longiore, hinc inde per caulem diffuſa; proportionem ſive demenſum ejus in Icone ad latus, quemadmodum in præcedentibus & ſubſequentibus dicendis plantis delineatione infinitis aliis conſimilibus expreſſimus, ut facilius & exactius herbarum menſuras ſpectandas demus.

Gram. Cyperoides paluſtre longius ſpicatum Anglo-Britannicum aceroſum & echinatum.

Aliis conſimile iſtud; ſparſis duarum unciarum ſpicis octo aut novem in caule binum aut ternum cubitorum, triquetro aſpero quemadmodum folia majora & latiora: radices item ſuperioribus ſimiles. Paluſtribus Altæ Portæ, vernaculè Highgate, oritur.

Gramen

Gramen Cyperoides Nortvegicum, ima foliorum baſi tantillum lanuginoſum.

Ancipitis & participis utriuſque naturæ, inter Caryophilleum Gramen terreſtre & Cyperoideum paluſtre hæc duo perelegantia Gramina, juxta portum Fleckery vocatum, ſterilis Petreæ Nortvegiæ, arctiſſimis udis convallibus, ubi copia Aſphodeli minimi lutei paluſtris, Lancaſtrienſi Anglo-Britannico aut Scotico Aſphodelo cognati, & Pingueculæ herbæ Nuperorum collecta. E prætenuiſſimis capillaribus radicum cirris ſubnigris unciam æquantibus, confertim foliola Graminei Ranunculi quadantenus æmula, minora, binos ternoſve digitos longa, exiguè ſparſim hirta proveniunt; è quibus graciles pedales, & in duas ſpithamas altitudinis excreſcunt caules, juxta foliorum ex-

Gr. Cyperoides Nortwegicum parum laxoſum, Park. pag. 1172. Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS. There you are complemented with a Never before.

ortus, molli lanugine pauxilla caneſcentes pubeſcentesve, nitidis Junci glomerulis ex pallido fuſcis faſtigiati, prominulo ſeſe exerente folio.

Varietas duplex. Perſimile collegit D. Guil. Boelius, hujus amœniſſimi ſtudii periti ſſimus paluſtribus Londinenſis agri juxta Altam Portam, cujus anguloſi cauliculi palmum non ſuperant: frequentiores item glomeruli.

Altera differentia Anglo-Britan. Gram. Cyper. Park. pag. 1172. Theat. Bot. è Lob. MS.

Ibidem loci alteram differentiam perſpicuæ magnitudinis, ſupradicto Nortvegico Gramine collegi: Cætera alioqui conveniunt.

Nortvegicum Gramen alterum Cyperoides.

Park. pag. 1173. ſine Icon. Theat. Bot. è Lob. MS. Where he concludeth with a Never written of by any before.

Non diſpari ſolo & cœlo provenit alterum; ſed muſcoſo udo; Palmaribus Junci, aut Graminis

Cyperoides

Cyperoidis aquatici parvi ſimilibus, capillaribus fibris, ex fuſco albidis radicibus prǽditum; innumera foliorum, ternum, quaternum, ſenum ſeptenumque unciarum propagine; Cauliculus ſeſquipedalis gracilis, in cujus ſummo toroſi Junci coacervata faſtigia conoidis figuræ.

Gramen paluſtre Cyperoides gracilibus ſpicis, aut ſpicatum tenue.

Radices illi odorati Cyperi officinarum, ſed tenuiores multo, quibus propagatur, concolores capillàmentis fuſcis prǽditæ: cauliculi item tenuiſſimi, pedales, ſeſquipedales, aut ampliores. Folia ima anguſta, dura, & breviora, quam ſuperiora, cubitalia: ſeſquiunciales ſpicæ, graciles & radicibus ferè concolores.

Gramen

Gramen Cyperoides minimum Boelii tenuifolium parvis per caulem diſtinctis torulis.

Duriore lignoſa radice, craſſioribus fibris, ſubfuſcis prædita, pedales emittit caules, & ſecundum illos parvas paniculas fusè diviſas. Provenit in Anglo-Britannia.

Gramen Cyperoides aquaticum Bayonenſe.

Minoribus torulis conſpicitur. Cætera eadem ſunt.

Gramen lanatum tomentoſumve perelegans tenuifolium.

Silentio minime prætereundum non inelegans Gramen diu aſſervatum in chartaceis libris meis. Foliis ſtipatum tenuibus rigidis

dis ſpithamum longis, æqualibus junceis cauliculis hapſo lanato faſtigiatis, quibus in pappos migrant elapſis. Ranunculis multo minora & tenuiora capitula. Superior valde toroſa & craſſa radix inodora, cum denſioribus fibris, longitudine folia & cauliculos junceos æquant.

Gra. Cyperoides ſparſa panicula Altæ Portæ.

Variis aquaticis locis Altæ Portæ, & alibi in Britannia conſimilibus natalibus provenit, foliis denſis Junci, compreſſis & Graminis mediis ex fuſco virentibus: caulis item compreſſus, cubitalis, binum & quandoque ternum cubitorum. Lata adeo comoſa panicula ut ſæpe ſternat pondere, innumerorum Junci capitulorum onere. *Park. pag. 1172. Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.*

Gramen

Gramen Cyperoides paluſtre Miliaceum maximum Auguſtarum aquarum, ſive Bayonenſe.

Inter D. Joannem Luce Oppidum nuncupatum, & Aquas Auguſtas (hodie Bayonne) iiſdem natalibus cum Flammula aquatica Bayonenſi, hoc perelegans Gramineum genus maximum Cyperoides convictor & alumnus, humanæ ſæpiſſimè proceritatis; Miliaceis ſparſis comoſis paniculis in ſummo & lateribus culmi pedali longitudine: Folia longa, duriora, aſpera, firma, rigida, & ſtriata, Arundinis Vallatoriæ: Calami item geniculati, concavi ſive ſinuoſi Arundinis Vallatoriæ: craſſiores Radices longè lateque per cœnum paluſtre ſub aquis ſparſæ.

Gramen Pſeudo-Cyperoides Anglo-Britannicum.

Ad Thameſis fluenta juxta Ratleum agri Londinenſis frequentiſſimum. Idem cum Septentrionale Belgico ſuperiore Pſeudo-cyperoide gramine aut congener opinor, folia tamen longiora multò. Olivares radicum glandulæ, ſatis reſpondent. Caules tricubitales, & grandiores, undarum forte recurſus frequentiâ, Capitula Junci ut alterius.

Gramen Cyperoides aquaticum, tenui triquetro longoque caule, medulloſo, Junceo, bicubitali altioreque caule.

Torulis congeſtis ferrugineis caulis præditus, è cujus inferiore parte exeritur folium, & alterum juxta radicem Graminis pratenſis ſimile inſtar vaginulæ, longitudinis trium

verſorum digitorum. Radix capillaris aquatico cœno merſa, ferruginei item coloris. Oritur in Anglo-Britanniæ aquaticis.

Gramen Cyperoides Aquarum Auguſtarum, ſive Bayonenſe Iſchœmi paniculis.

Park. è Lob. MS. Sic nobis vocatum hoc Gramen fuit ut expeditè inter alia diſcerneretur nomine ſpecioſæ ſparſæ ſpicæ ternum & quaternum unciarum; craſſitudinis autem caudæ Muris, & coloris ſubfuſci palloris: triquetri cubitales & ampliores caules: Unius cubiti aut longiora paulo folia. Craſſiuſculæ fibratæ radices cirris uti aliorum congenerum Graminum.

Gramen

Gramen Cyperoides Bayonenſe fuſca ſpicata elegantiſsima panicula Boelii.

Hoc non æquè extollitur ac præcedens Gramen. Triangulares, cubitales, pauloque ampliores caules: Radices aliis ſimiles: folia itidem ſtriata, lata, ſuperioris Graminis Cyperoideis quodammodo. Ibidem loci Boelius collegit, & me impertivit.

Park. pag. 1268. *Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.* You have him thus diſcourſing, Theſe ſorts have not been ſet forth before now.

Gramen Cyperoides eleganti multifera congeſta ſpica Anglo-Britannica.

Hæc planta cubitum & quatuor uncias æquat: graciles tri-

Gr. Cyperoides elegans multifera ſpica. Park. pag. 1172. *Icon. ibid. e Lob. MS.* Not written of by any formerly.

quetri caules; folia ſuperioribus ſimilia. Spica multiplicibus torulis conflata, ſeſquiuncialis, mucronata, uti in iconis margine effigiata. Radices ſubdulces, albidæ, mediocribus cirris capillatæ. Oritur in Magna Britannia.

Gramen Cyperoides comoſa torulis diſtincta ſparſa panicula paluſtre Anglo-Britannicum.

Graciles bipedales triquetri caules: anguſta palmaris longitudinis folia: graciles ſummo ſparſæ paniculæ; è quibus longa anguſtaque folia prodeunt: Radices albidæ capillatæ.

Gramen Cyperoides ſylvarum tenuius ſpicatum.

Park. pag. 1171. Icon. 1172. Th. Bot. è Lob. MS.

Ab Alta Porta vocitata, Londinenſis agri, ut ut remotis ſylvis reperitur. Ejus ſpicæ longiores, duas

duas uncias, breviores verò unciam & ſeſquiunciam æquant; graciles, triquetris longiuſculis ſeminibus ex luteo pallentes. Folia Graminis pratenſis, rigida, quaternum & quinum unciarum. Craſſioribus fibris capillatæ radices, Ochræ ſubfuſcæ coloris. Triangulares pedales caules; fæni guſtus ut quamplurima Graminea.

Gramen Cyperoides gracile alterum glomeratis torulis ſpatio diſtantibus.

Supradicto congener gracilimis pedalis altitudinis aut paulò longioribus cauliculis, torulis multis glomeratis interſtitio inter ſe præditis & diſtinctis. Folia longiuſcula, ex craſſiore, supernè Mei aut Nardi modo radice capillata, fibrata, ſubfuſca, ſatis ampla pro plantæ gracilitate. Ex nonnullis torulis nonnulla capillaria exeruntur foliola. Iiſdem natalibus quibus ſuperior gaudet.

Nardus

Nardus Gangitis ſpuria Narbonenſis Adverſar. pag. 43.
Nardi Gangit. ſpuriæ ſimilis tenuifolia capillaris planta montana Cambro-Britannica.

Gramen Junceum montanum ſub-cærulea ſpica Cambro-Britannic. Park. pag. 1188. *Icon.* 1189. *Theat. Bot. è Lob. MS.* Behold, you have him there confeſſing, that *Lob.* intended to call this *Nardo Gangiti ſpuria, &c.* but I have altered, and referred it rather to theſe Ruſh-graſſes, whereunto it is moſt like, being not mentioned by any before. A moſt learned alteration!

Provenit in Cambro-Britanniæ celſiſſimo monte illo nubifero Berwin vocato, imbribus, caligine, aut aſſidua pruina irrigato, vicinis tamen collibus & convallibus ſole illuſtratis. Denſiſſim â glebâ, foliis tenuiſſimis, cubito paulo brevioribus, in cauliculis octo aut novem unciarum, ſpicatus elegans torulus ſubcæruleus oritur. Muſcoſis gaudet natalibus. Nullum uſum ab incolis aſſequi licuit. Odor mucidus.

Sparganium

Sparganium alterum, ſive minus.

Mollius, tenerius & minus iſtud neque ubique obvium: Variis tamen Anglo-Britanniæ ſtagnantibus aquis & foſſis Londinenſis ruris juxta Lambeth: In Kantia inter Rocheſteriam & Maidenſtone, etiamque alibi in Dania prope Cronenburgum ſplendidiſſimam arcem Regiam, & in Flandria mihi obvium. Caule molli, pedali, ſeſqui-pedali, & interdum ampliore; floribus per ambitum verticillatim & glomeratim purpurantibus & elegantioribus decorato. Folia Graminis aquatici grandioris aliquantum flaccida, atrovirentia. Radix craſſioribus fibris prædita. Cur majus dixerit Ger. non video: ſed ſcio iconem delineatam ex noſtris Obſervationibus Teutonicè verſis, aut iconibus noſtris Latinis à Tabernæmontano; cujus icones furtivas mutuatus eſt pretio Londinenſis à Francofurtivo Typographo. Hujuſmodi errata communia ſunt iis qui ex aliis ſordidè materno idiomate tranſcribunt linguarum ignaris, plantis ut arbitrantur, illis

illis benè notis & deſcriptis ex aliorum librorum iconibus; illis plantis ipſis in agris vivis, ignotis.

Gramen Juncoides alterum, minus granatum, Comitatus Kantiæ.

Ex plantæ inſcriptione diſcrimen inter Gramina facile diſcernitur.

Gramen Juncoides ſparſa Junci panicula, compreſſo caule.

Park. pag. 1189. *Icon.* 1190. *Th. Bot. è Lob.* *MS.* This is not extant in any other Author.

Seſquicubitalibus, gracilioribus caulibus planis: folia item minutiora & anguſta, ſpithamum longa, altioraque. Paniculæ, graciliores, ſparſæ, congeſtis granulis albidis præditæ. Radices ſuperiori ſimiles, & fere concolores, ſed dilutiores, rariuſque cirratæ.

Gramen

Gramen Juncoides minus, ſparſis paniculis, ſive Iuncellus Gramineus ſparſa panicula.

Folia ſuperiore breviora, vulgari paria, viridiora tamen: paniculæ ternum & quaternum unciarum latitudinis, ſparſæ, quamplurimis capitellis, quam ſuperiorum rotundioribus donatæ: folia quinum & ſenum unciarum & ſpithamæa, uti caules. Dilutior quam præcedentium radix.

Gramen Iuncoides medium paniculis ſparſis.

Palmum non excedit hoc Gramen: folia uncias duas longa, obliquè ſtriata: Paniculæ item binum aut duarum unciarum longitudinis. Radices albi coloris reptatu uti Junci, propagantur, unius aut alterius unciæ. Omni ſui parte craſſius, & brevius ſupra dictis Junceis Graminibus.

Gramineus Iuncus maximus ſparſa panicula.

Compreſſo udorum vulgaris Junci bicubitali caule, & compreſſis item foliis, replicatis, crebribus obliquè geniculis præditis, ſaturæ viriditatis. Paniculæ utcunque latæ ſparſæ & craſſiores quamplurimis Junceis capitellis donatæ.

Gramineus Iuncus maximus ſparſa panicula alter, ſive rivulorum maximus.

Non multum à prædicto foliis & caule geniculatis. Ejuſque varietas procerior videtur.

Gramineus parvus gracilis Iuncellus Altæ Portæ.

Pedales exiles caules edit; raris capitulis

lis parvis, digiti tranſverſi longitudinis per ſummitates prædito. Foliola itidem capillacea, palmum, duos & ternos digitos longa: Capillatæ radices. Prope Lyſimachiam minimam omnium provenit.

Gramen Iuncoides exile omniumque tenuiſsimum Pleymuenſe.

Tenuiſſimum & iſtud Gramen Junceum, foliis veluti congerie exilioribus graciliſſimiſque filamentis denſiſſime ſtipatis capitellis aſciculorum minoribus, aculeiſque donatis. Montoſis udis juxta Plymouth in Cornubiæ finibus oriundum. Capillata item radix ſeſquiuncialis & duarum unciarum.

Gra. Junceum maritimum exile Plymoſtii. Park. Th. Bot.

Gramen Iuncoides paucifolium tenuiſsimum exile.

Gra. Junceum magis exile paucifolium. Park. pag. 1271. Icon. 1270. Th. Bot. è Lob. MS. Theſe have not been exhibited.

Ejuſdem demenſus molliſſimumque & delicatiſſimum paucioribuſque cauliculis & foliis, iiſque brevioribus prǽditum: capitula craſſiora, apiculis item donata & faſtigiata, & longe minore radice.

Gramen Iuncoides tenuiſsimum, ſubfuſcis torulis, apiculis carentibus prǽditum.

An Juncus exiguus montanus mucrone carens Bauh. Prod. p. 22.

Non eſt prǽcedentibus duobus Graminibus Junceis procerius, iiſdem natalibus proveniens: quia nominis inſcriptione, uti alia pleraque Gramina, ſatis explicatur, largiore deſcriptione non indiget

convallibus

convallibus aquaticis reperitur trans Portam altam inter Oſmundas Regales, Tomentum H. Tragi & Lyſimachiam minimam galericulatam.

Gramen Iuncoides Batavum ſpecioſum.

Paluſtribus maritimis ſabuletis Harlemenſis agri oritur, quatuor non excedens uncias: ſinguli caules ternum unciarum ſingulis ſpicis lucidis, fuſci Caſtaneæ coloris, magnitudinis teretis rotundæ expreſſæ in icone, supernè mucronato folio duro, unciali prædito: Vaginula ex qua emanant folia dura rigidaque, ſemirotunda, duas uncias longa.

Gramen Junceum ſpecioſum minus. Park. pag. 1188. *ſine Icon. Theat. Bot. è Lob. MS.* This is rank'd with the never before mentioned.

Gramen

Gramen Iuncoides minimum Anglo-Britannicum, Holoſtio Matthioli congener aut Bufonis Gramini Flandrico.

Gramen Junceum minimum Holoſtio Matth. congener. Park. pag. 1271. Icon. 1270. Theat. Bot. è Lob. MS. Never exhibited before.

Supradictis Altæ Portæ ûdis collibus oritur, etiamque propè Dover. Tota planta duas uncias aut tres vix ſuperat: ſeſquiuncialia ima folia, quam cauliculorum longiora ſunt, gracilia. Quod Doverenſi agro provenit, capitulis Junci eſt rotundioribus, granulis aut ſeminibus magis ſtipatis: aliud minus densè granatum eſt graciliuſque: cætera aſſimilia ſunt. Radices admodum parvæ, capillatæ.

Gramen alterum Iuncoides, ſive Bufonis Flandricum. Holoſtium Matthioli.

Variat Altæ Portæ vicinis, & nonnuſquam

nuſquam alibi humi jacet aut ſternitur: ſæpius tamen erigitur. Totumque longe minus conſpicitur.

Juncus Cyperoides Gramineus alter capitulis Equiſeti.

Superiori perſimilem Juncum obſervavi, gracilioribus tamen pedalibus & cubitalibus cauliculis, toruliſque inter capillares ſubfuſcas fibras donatum inſtar Graminis ſylvarum majoris. Hunc icone nova exhibeo. Udis ſylvoſis Anglo-Britanniæ aut Cambro-Britanniæ, per ſolis æſtus, aquis viduis, ni labat memoria, oritur.

Juncus capitulis Equiſeti alt. Park. pag. 1195. *Icon.* 1196. *Th. Bot. è Lob. MS.* The 2 hath his title ſufficient to expreſs it, not being deſcribed by any other.

Arundo Indica ſtriata, vel ſulcata alba Robini Junioris.

Debetur & hæc peregrinæ elegantiæ exotica

tica Canna Indica D. J. Robino, Chriſtianiſſimi Regis Galliæ Botanico inſigni mihi communicata à filio ſuo Juniore, Veſpaſiano Robino, maximæ ſpei Viro Juveni, qui in peragrationibus longinquis & indefeſſi laboris ſuis cum multis elegantiſſimis plantis obſervavit, ut inſererentur meis lucubrationibus ut ſeros nepotes poſteroſve ab oblivione vindicarem. Hic Calamus humanæ eſt proceritatis, folia uncialis amplioriſque latitudinis, venuſtè ſtriis albis donata, bipedalis & ſeſquipedalis longitudinis. Radix & cætera Arundini Donaci reſpondent.

Naſtos, id eſt Farctæ Arundinis Varietas.

Coloris pallidioris & mollioris corticis Arundinem farctam Antuerpiæ ad Carceris portam, prope Ichtyopolium olim emi. Utraque ex rotundo triangularis aliquantulum, unâ parte depreſſa.

Rapum

Rapum fulvum tereti rotunda oblongioreque radice.

Hoc fulvo Rapo jam multis annis elapſis me donavit generoſus & humaniſſimus Vir D. Joannes Van Hale-Win, Dominus à Vox-Vrye, ejus copiam in agris juxta ædes ſuas Occiduæ Flandriæ ſeverat, in Urbana Villa Boeſing vocata, milliari Flandrico ab Ypris diſſita. Sola radicis differentia à ſuperiore in aurei coloris nitore, Paſtinacæ ſativæ Dioſcoridis (non Elaphoboſci) concolori, ad intinctus commendabilis: Alioqui, radice, folio, ſemine à ſuperiore non variat.

Rapiſtrum flore luteo alterum.

Semine ex flavo albo, paulo minore, à ſativo variat: guſtus item acris. Radix parum fibroſa. Flores lutei & folia ſatis conveniunt cum ſuperiore. Frequens oritur viâ qua itur ex ſuburbio Londinenſi vocato

Bednal-green, agrorum marginibus; priuſquam verſus Hackneum deflectitur.

Eruca Africana Thlaſpidii & Erucæ media planta Boelii.

In Sophiæ planis oriunda.

Eruca Africana altera.

Foliis laciniatis, cubitalis planta, iiſdem natalibus oritur.

Cardamine Alpina, ſive media.

Satis accedere videtur ad ſecundam Cluſii Cardamin: Alpinam, ſpecies illa quam reperi juxta ædes generoſiſſimi & amiciſs. Viri & Equitis D. J. Scot, in Villa Nettleſted, Comitatus Kantiæ, in Vipretis naſcentem unâ cum Ranunculo aureo Tragi, devexis collibus ad fluminis ripas, eleganti in orbem foliorum ſerie; laciniis & crenis Syſimbrii Cardamines; ſed unciis duabus etiamque tribus longioribus, atrovirentibus,

bus, & quandoque ex phæo & Xerampelino nitentibus, humique ſtratis. Floſculi albi in dodrantalibus cauliculis. Radix alba, fibrata, & cætera cum aliis conveniunt.

Thlaſpi alterum ſiliquoſum.

Propius ad effigiem accederet Thlaſp: montan: 2. alia affinis herba declivibus inter ſegetes naſcens, non procul à Martini Cœnobio ſex aut ſeptem miliaribus Londino diſtante, foliis Alſines radiatim humi ſtratis, caulem imum exilem ſenum unciarum & Spithamæum, ramoſum ambientibus; in quo rara foliola & ſummo floſculi albi & ſecundum caulem cornicula exilia, ſemen perpuſillum, rufum, guſtu ſubacre, continentia: Radix alba, gracilis & capillaris.

At montano ſecundo Cluſii Thlaſpio, folia cæſia ſunt, compreſſæ thecæ Thlaſpi vulgaris ſimiles & ſemem rufum longè majus compreſſum, Thlaſpi Cretici minus. Radix item fibroſa, candicans, & è lateribus ſeſe propagans.

Planta juxta Highgate reperta.

Floſculi Chamælini quatuor foliis oconſlati lutei Umbellæ inſtar compacti, ramis ſummo diviſi. Hieracii ſubfruticis ſpecie aut facie, foliis Perſici aut Chamælini, triplo majoribus & longioribus: flores lutei, congeſti, longo pediculo annexi, totidem ligulis ſub flore prædíti, multis ſtaminibus luteis donati. Bicubitalis & tricubitalis ramoſus caulis. Radix lignoſa, dura, 10. unciarum. Similis fere planta Sabaudo Hieracio, ſed elegantior.

Senecio Jacobæa Zelandica incana.

Hæc Jacobæa frequentiſſima pratenſibus inter Medioburgum & Armudam, canitie à ſuperiore ſolùm varia, ſed omni ſui parte paulo grandior molliorque. Ab Artemiſia alba Herbariorum differt. An perennis aut annua, aut fætida ſit, non occurrit.

Sonchus

Sonchus fruticoſus petreus ſpinoſus Africanus.

Inter Plantas exoticas Africanas à D. G. Boelio acceptas hoc rari Sonchi genus nactus ſum, quem poſteritati aperire viſum fuit, ut innoteſceret ſedulis inveſtigatoribus, ſi quando occurrat. Foliis eſt profundè laciniatis, Virgultis durioribus, tortuoſis, ſpinis undequaque præditis. Rudimenta florum plantæ aridæ ſolum conſpicatus ſum.

Park. pag. 804. Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.

Sonchus lævis alter Danicus aut Anglicus folio profundis laciniis ſinuato, flore luteo lactucino.

Graciliore, glabro, pedali & cubitali, ſummo alis diviſo caule; flore exili, oblongo, luteo, Lactucæ ſylveſtris: foliis item profundè utrinque laciniosis, & ſummo Hederæ

deræ modo ſinuatis, viridibus utraque parte, ſed minoribus & tenuioribus. Cætera non abſimilia. Hunc fagineis ſylvis maritimis Elſenoriæ aut Cronenburgo Daniæ munitiſſimo & magnificentiſſimo caſtro vicinis collegi. Haud diverſum opinor ab iſto, qui juxta Wolwich, ſeptimo aut octavo à Londino miliari, via regia, ſub fruticum & arborum caudicibus provenit.

Hieracii Sabaudi ſimilis, aut Myagri Virginenſ. ſubfrutex, tricubitalis, foliis Chamælin: majoribus, Perſici foliis minoribus.

Flos luteus 4. foliis conſtans, totidem ſubtus unguibus, ut in roſa præditus, phæi rubicantis coloris. Pediculo unciali, concolori; ſed ad baſim juxta folium viridi, ſtriato, folia maſticanti glutinoſa, ſubacida; nihil aut perparum calida; juxta foliorum exortus cornicula unciam longa Delphinii craſſiora ſemine ſubrufo ante maturitatem prædita.

Hieracium

Hieracium Bæticum Cluſ. in cur. poſt. pag. 35. ſine deſcript.

Hieracium medionigrum flor. major. & minore Boelii, Ger. emac. pag. 1625. ſine Icon.

Hieracium medionigrum Bæticum majus & minus. Park. Theat. Bot. p. 792. Icon. 791.

Hieracium medionigrum D. Peliterii. Romano nondum ſtylo donatum.

Non minus elegans quam rara nobis videbatur hæc Hieracii ſpecies, cubitalis eſt, aut paulo altior, radice ſingulari, longa, tenui, nonnullis veſtita fibris, & ut omne fere Hieracium albicante. Folia quinque aut ſex, quandoque plura, oblonga, ſerrata, pauca lanugine obducta, aſpera, in duabus ex-

extremitatibus, acuta, media vero parte lata; Caulis exilit unicus ſæpenumero duo, aut tres, non vidui foliis, ſed inferioribus ſimilibus, quæ in ſummo caule oriuntur, minora ſunt, anguſtiora, nec inciſa, è quorum junctura ramuli aſſurgunt tenuiores, altitudine majorem caulem, multò ſuperantes; flores in extremis faſtigiis naſcuntur, non admodum magni, ex multis foliolis, ſibi invicem incumbentibus, conſtantes: extrema parte prorſus lutei, quâ verò cauli adjunguntur, nigri, ſicque elegantes viſum recreant. Floret Junio & Julio, iiſdem menſibus, & ſequente, ſemen nigricans, & floccidum colligi poteſt; donec enim poſteriora capitula florere incipiunt, priorum florum ſemen matureſcit. Naſcitur ſolo arido, ac lapidoſo, circa Monſpelium, ſed rarius, potiſſimum tamen verſus ſegetes in ſylva Grandmontia.

Lactuca capitata patula foliis viridioribus, rubris maculis aſperſis.

In hortis Belgicis variat.

Braſsica capitata Veneta vocata, ſerotina.

Uno poſt aliam menſe ſeritur, ut ſerius & diutius eſui commoda ſit.

Quidam communem capitatam Lactucam autumno ſerunt aprico loco, ſiccis Vitium foliis aut arborum frondibus operiunt adverſus frigoris injurias; vere novo tranſplantant, & Maii menſis initio, ſæpe lactucas capitatas præcoces eſitant.

Braſsica pomifera capitata Anglo-Britannica.

In quadam inſula Lancaſtriæ Anglo-Britanniæ vicina Braſſicam capitatam Pomiferam veſcam tradit Vir generoſus D. Heſketh, hujus ſtudii Botanici amantiſſimus, pluribus pomis capitatam, inſtar Braſſicæ polycephal: ; quam, quia mihi non conſpecta, nihil aſſerere audeo.

Braſſica vulgaris arboreſcens Flandrica.

Vulgaris Braſſicæ non capitatæ genus, amæni ſeminarii, ſalicti aut pomarii inſtar, ordine pulchro conſitum, ſcapis quinum, ſenum, & ſæpe denum cubitorum, Malvæ arboreæ craſſitudinis & ſimilitudinis, foliis amplis densè faſtigiatis, colere ſolebant ſuburbanis hortis Flandri, quorum foliis infernè

fernè quotidie decerptis, Hiberno tempore Vaccas alunt ad lactis & butyri ubertatem. Hanc Braſſicam alebat Medioburgi in horto Thomas la Foſſe, Pharmacopœus peritiſſimus, aiebatque in Friſia ſurculos fœcundos arborum fæliciter in ea inſeri.

Varietas. Folio ſuaverubente littoreis & ſabuletis maritimis Anglo-Britannicis variat.

Maris incolæ Eſſexiæ ea veſcuntur ad lubricand: alvum ex juſculo pingui. Provenit etiam toto illo tractu littoreo à Dovero, Ryam, & inde ad Vectem inſulam.

Tabernæmontanus & ejus aſſeclæ rapſodi vernaculi ſcriptores effigiem Braſſicæ marinæ ſylveſtris ſingulari ut plurimum, raró gemino, tereti, aliquantulum oblongo ſemine, theca rotunda Piſum æquante occluſo, in Adverſariis & Iconibus noſtris mendosè expreſſam iconem pro alia ſpecie in lucubrationes ſuas congeſſerunt ſeſe ſequentes ut grues: Quod erratum iis evenire ſolet qui haud ingenuè vel ſordidè aliena corradunt ſcripta & cattè ſuppreſſis authorum nominibus, ne laterna aperiatur unde hauſerint.

Beta maxima.

Betam maximam alebant Londini annis elapſis Joannes de Franqueville, cujus ſæpe memini, & quidam alii Botanici, caule humanam proceritatem ſuperante, ſubluteo, nervis rubris ſtriato, aut Xerampelin: alis diviſo: ſemine, foliis, & radice ex luteo & rubore mixtis, facie non diſſimilibus Betæ familiæ, ſed habilioribus, latioribus & majoribus, quemadmodum foliorum nervoſi pedes.

Varietas. Bicubitalis aut paulo altior in Gallicis,Belgicis & Anglicis hortis;latis item foliis viridibus, aut ſubluteis rubentibus nervis donatis, quandoque Xerampelinis.

Beta maritima ſyl. ſpontanea.

Sabuletis maritimis Galliæ Narbonenſis & littoreis Angliæ & Scotiæ, anguſtiore aut latiore folio & carnoſo ſponte oritur ſylveſtris nigra Beta, ſalſo & nitroſo guſtu: cæteroquin vulgatioribus Betis omni ſui

parte

parte haud abſimilis. Londinum ex Scotiæ littoribus Betam maritimam ſyl. admodum ampla radice ad me miſit Pharmacopœus amiciſſimus.

Beta maritima ſyl. minor.

Longè minorem inter Atriplices maritimas iiſdem littoribus Anglo-Britanniæ ſylveſtrem ſpontaneam Betam collegi, toto habitu non diverſam; ſed foliis Bellidis minoribus: cauliculis pedalibus gracilibus, pedem longa aut paulo longiore radice. Omnes guſtu ſalſo & nitroſo commendantur ad hydropicorum aquas educendas.

Atriplex maritima altera Oſyridis aut Scopariæ fol. ſive minima.

Salſugine riguis pratis juxta ædes D. Richardi Garth, non procul ab Oſtio ſive portu, vernaculo diſcurſu Portſmout, triplicem atriplicem maritimam collegi, quarum minima

nima palmum vix ſuperat. E radice tenui, alba tres uncias longa, nonnihil fibrata, folia edit anguſta & tenuia, unciam & ſeſquiunciam longa Scopariæ aut Oſyridis: Cauliculi tenues trium unciarum, in quibus Atriplicis aut Ambroſiæ racemoſi flores, ex luteo viridi albidi, guſtantibus ſubſalſi.

Atriplex maritima anguſtifolia ſecunda.

Foliis Atriplicis olidæ anguſtioribus multo, ad baſim tantillùm laciniatis, pinnatiſq;: Semen juxta foliola in cauliculis ſeſquiuncialibus, palmaribus & ſeſquipalmaribus, fuſcum, ſingulare, compreſſum, Urticæ Romanæ ferè par, folliculo parvo rotundiuſculo occluſum. Radix admodum gracilis, alba, pedalis, longius radicata.

Atriplex

Atriplex maritima anguſtifolia tertia.

Hæc ſatis convenire videtur cum prima Oſyridis fol: Atriplice maritima foliis longis, ſed latioribus & racemoſis floribus: ſeſquicubitalibus tamen lignoſis Solani caulibus, & radice alba, duriore, lignoſa.

Solanum Indicum fruteſcens Robini.

Ejus fructus maturus intus Viridis eſt: folliculus item viret; nervi nigri. Flos ex pallido luteus: caulis tripedalis. Atrorubentia folia, nigricantibus nervis prædita. Radix fibrata: annua planta, quam in horto ſuo alebat J. Robinus.

Solanum

Solanum magnum Virgineum facie Solani Somniferi lethalis noſtratis.

Solanum magnum rubrum Virginianum, Park. pag. 347. Icon. ibid. Theat. Bot.

Anno 1615. mihi innotuit hoc Solani genus, primum viſum Londini in horto D. J. de Franqueville ſimplicium exoticorum ditiſſimo. Caules edit tricubitales, brachiatos digiti aut pollicis craſſitudinis, ut Portulacæ majoris ſubrubentes aut concolores multis foliis magnis Solani Somniferi anguſtioribus & minoribus præditos, folia ſuperiora denſe ſtipata, inſtar rudimenta catulorum Alni aut Coryli parvi digiti tranſverſi longitudinis erumpunt, antequam laxantur.

Uſus frequens eſt, apud Anglos qui ibi habitant,

habitant, vomitui ciendo. Purgat enim, & ventriculum ſubvertit.

Circæa Lutetiana minor Danica.

Dumetis Elſenoræ ſive Cronenburgi arcis Regiæ ſplendidiſſimæ & munitiſſimæ vicinis oritur ſecus viam publicam ad radices montoſæ fagineæ ſylvæ non procul à ſabuletis maritimis, ubi Pulſatillæ majoris copia gliſcit; cauliculis gracilibus, alis diviſis quinum aut ſenum unciarum: floſculis, omnibuſque ſui partibus vulgatæ Lutetianæ Circææ ſimilibus; ſed minoribus & tenellis; & radice aliquot verrucoſis grumulis ſubfuſcis tuberculis eminente, cincinnorum fimbriis capillata, longiſſimis extantibus filis: rotundioribus, minoribus.

Biſtorta minor noſtras.

Minimæ folia minimo digito anguſtiora ſaturæ viriditatis, acuta, averſa item parte glauca. *Park. pag. 392. Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.* The 4 I take to be differing from the reſt, and therfore call it *noſtras*.

Radix digiti parvi craſſitudinis paucioribus fibris donata. E ſpicatis thyrſis palmaribus floſculi albidi; deinde ſemen è foliolis Vetonicæ ſpicatæ ferè par, Lupi ſalictarii minus.

Naſcitur in Anglo-Britanniæ, ut fertur, theriotrophio Ravenſwaith, præfecturæ Weſtmerlandiæ. Solet in Botanicorum hortos transferri, ſed nobis & aliis periit.

Limonium medium Anglicum.

Park. pag. 1236. ſine Icon. Theat. Bot. è Lob. MS.

Herbidæ Colcheſtrienſis amnis crepidines, pelagi æſtu quandoque inundari ſolitæ, hoc Limonio uberi proventu gliſcunt. Radice, foliis Narbonenſi parvo Limonio triplo majoribus; triplo etiam Adriatico aut Monſpelienſi vulgato minoribus; ſpithamæo brachiato caule ſimilibus & concoloribus: flores item concolores & Limonio vulgari majore ferè pares.

Udis maritimis pratis Anglicis prope Roceſtriam & Graveſend.

Li-

Limonium Africanum Guil. Boelii.

A Limonio peregrino Rauwolſii differre re vera videtur Boelii Limonium Africum, cujus iconem ex planta ſicca collecta in Africa ab ipſo Guil. Boelio, amiciſſimo Viro, hujus hiſtoriæ callentiſſimo; qui tempus ſuum terit in peregrinarum Plantarum collectione. Hujus ſui Limonii duplicem exhibeo Iconem; unam humilem, palmarem, aut paulo altiorem: alteram ramoſam cubitalem, ſarmentoſam, amplioremque; rotundioribus item foliis, uti minoris pumilionis Limonii, minimè profundioribus laciniis aut diviſuris Aſplenii modo, uti Limonii Rauwolſii. Sarmenta item pinnata & fimbriata, lignoſa, rigida, cubito longiora. Radicem non vidi; Ortus & modus prorſus Limonii vulgaris maritimi, aut Limonii parvi Montis Ceti Nitiobrigum Monſpelienſiſve agri:

Limonium Africanum elatius & humile. Park. pag. 1235. Icon. ibid. Theat. Bot.

N 2 Caulis

Caulis pinnatus ſimbriatuſque elegantiſſimè, partim brachiatus ſubrotundis foliis foliosſus, partim foliis viduus; quorum tres Icones exhibeo ad diſtinctam cognitionem.

Tertia crevit Londini in horto D. Parkinſon: Pharmacopœi egregii, & hujus ſtudii Simplicium medicamentorum digniſſimi.

Quinquenerviæ Plantaginis Varietas.

Quæ toroſa eſt ſpica, caule ſeſquicubitali donata eſt.

Gentiana altera dubia Anglica, punctato medio flore: Helleborines uti ſuperior forte cognata.

Gentiana dubia Anglica. Park. pag. 404. Theat. Bot. è Lob. MS.

Aſſocianda altera quadantenus

dubia

dubia ſimilis planta facie, caule & foliis accepta à D. Hesketh, generoſo Anglo hujus Studii & Chirurgiæ ſtudioſiſſimo. Flos Helleborinis verius quam pentaphylleis proximior, quinque foliis albis conſlatus, umbone medio luteo, tribus maculis nigris notato. Radix ex fuſco lutea, Aſphodeli lutei minoris vulgaris modo fibrata.

Hanc è Lancaſtrienſi præfectura Angliæ Borealis præfatus D. Hesketh Londinum mihi attulit: Sapor, odor & cætera non occurrunt.

Elleborines 2 Cluſ. ſimilis Planta.

Folio, ortu, facie, & ſemine pulvereo Orchydem Arachnitem refert, radix vero ſine teſticulis, Valerianæ ſyl. modo fibrata: quia deſloruerat, florem obſervare non licuit. Forte Hellebor: ſecund: hæc Cluſii floribus albis, quinis foliolis conſlatis, ſpiceo ordine congeſtis, denis aut duodenis, in medio inſtar galeæ parvæ, ſubflavo labro Orchydis generibus

generibus quadantenus ſimilibus, & quinis foliis conſtantibus. Hanc collegi in montium ſylvis inter Maidſtone & Rocheſtriam Kantiæ Anglo Britannorum.

Tertiæ Cluſii Helleborines ſimilem facie, riguis pratis pagi Mary-cray vocati erui elapſa æſtate 1601. ſeptem Londino miliaribus Anglicis. Spithamæo caule, corniculato flore, ex albo tantillùm purpuraſcente.

Saponaria concava Anglica in Prod.

Gentiana concava Ger. Saponaria Anglica convoluto folio, Park. pag. 641. Ic. ibid. Th. Bot. e Lob. MS.

Saponaria convoluto folio. Locupletior *hæc deſcriptio.*

Magis conſentire & congruere videtur cum Saponaria omnibus ſuis partibus quam

cum

cùm Gentiana; quamvis concavam Gentianam vocitavit herbarum apud Londinenſes collector; Convolutum folium dixi Plinii exemplo. Planta primum reperta in Northamptoniæ comitatus ſylva, juxta pagulum Lichburrow vocatum, poſtea ornavit quorundam Botanicorum Londinenſium hortos ubi frequentem vidi. Cogimur ſæpè nomenclatores imitare, ad exactiorem rerum notitiam. Inſulſus Adverſariorum noſtrorum & obſervationum raptor, procaciter hanc plantam Gentianam concavam ſtatuit & baptizat: Cum nihil habeat amaroris, totaque facie proximior ſit Saponariæ vulgari quam Gentianæ, Saponariam convoluto folio fecimus, donec aliud conveniens nomen nobis innoteſcat.

Campanula montana Italica flore pendulo.

Pyramidalis Lutetianæ ſimilis, ſed minor, piſtillo albo vidua: bipedali caule. Provenit in agro Bononienſi, Veſpaſiano Robino teſte Joannis

Joannis filio inſigni & celeberrimo Botanico Lutetiano. Scutellaria à Floris cærulei figura dicta. Folio Lyſimachiæ cæruleæ.

Campanula cærulea ſupina.

Ex inſula (Iſle of Fowle) Anglo-Britan. vernaculo, id eſt, Avium, vocat: Lincoln: præfecturæ ab amicis accepi Campanulam cæruleam ſupinam, cujus radices excreſcunt ad brachialem magnitudinem. Folium craſſum, inſipidum, ſubaſtringens, Bugloſſi folio jucundius. Flores aſpectu jucundiſſimi, qui vino merſi colores, uti Bugloſſi flores variant & rubent, ut alabaſtri, gemmæve.

Campanula Helvetia flore candido.

Species Lapunculi, folio initio ſubrotundo. caule ſeſquipedali.

Lychnis

Lychnis arvenſis Anglica.

Pedalis gracilis planta, unico ut plurimum geniculato caulicu-lo, ſubpingui, parum hirto; floſculis albis, parvis, quinque-partitis donato, & foliolis Auriculæ Muris ſimilibus, poſitu binis, imo hirſutis; supernè maculis albidis conſperſis; è quibus altera duo duplo minora exeruntur, guſtanti inſipida: E pericarpiis oblongis ſemen Papaveris album continetur; ſed quia immaturum erat, num colorem mutet, neſcio. Radix, gracilis, alba. Provenit agro proximo retro ædes C. D. Thomæ Lucas equitis Colcheſtrienſis agri, etiamque alibi in Anglia.

Lych. arvenſis minor Anglica, Park. pag. 638. *ſine Icon. Theat. Bot. è Lob. MS.* This hath his never remembred before.

O *Lychnis*

Lychnis exilis agri Baionenſis Boelii.

Lychnis exilis rubra. Park.

Hanc ſedulus Guil. Boelius botanicus inſignis collegit in agro Baionenſi exilioribus minoribuſque foliolis, fili tenuiſſimi inſtar; cauliculis item prætenuibus, palmaribus: floſculis & calyculis tenuibus. Colorem deſcribere non poſſum, quia planta arida erat. Indictam plantam Boelius aſſerebat, & aliam à Cluſii, 6ª Lychnid: parva.

Lychnis exilis, ſive tenuifolia altera.

Lychnis tenuifolia altera, Park. pag. 638.

Alſines tenuifoliæ facie ſeſquipalmo minor planta floſculo ex herbaceo, pallido, imis foliolis

ſine Icon. Th: Bot. è Lob. MS. Theſe 2 are not ſpoken of by any other, and grow in divers places in our own Land, which how *Agri Baionenſis* could endure ſuch conſtruction, I underſtand not.

Holoſtii

Holoſtii Graminiſve floridi vocati ſimilibus ſed gracilioribus multo: exili radice.

Sedum Norvegicum minus.

Hoc floſculis quinis foliolis conflatis, candicantibus, totidemque medio centro teretibus oblongis, ordine æquali ſpatio cinctis grani Milii Solis minoribus, nonnullis candicantibus, uti flos, aut rubentibus: folia teretia, craſſa, Illecebræ majora, in hortis noſtris præſertim; cauliculi palmares aut ſeſquipalmares, numeroſiſſimi, & foliolis confertiſſimi petras amicientes. E Norvegiæ maritimis ſaxis, portus Flecheri in Angliam primùm tranſportavi, & hodie in horto medico nobiliſſ. Baronis Edvardi Zouche, ſuaviſſimo & egregio ſpectaculo luxuriat. Guſtantibus frigida & ſicca folia deprehenduntur, nequaquam acria.

Sedum Alpinum Helvetium.

Juxta capillarem fibratam radicem, folia parva edit, Sedi Petrei montani Allobrogum minora, & floſculos pallentes in pediculis, in ſeſquipalmari cauliculo.

Puſillum Sedum montanum in-dictum.

Inter papyros meos hoc Sedi puſilli genus cum ſupraſcripto & altero perpuſillo infraſcripto conjeci, quorum icones jam in lucem exhibeo, eorundem fere cum plantis ipſis ob parvitatem, magnitudinis, ut facilius diſcernantur. Foliola denſiſſimo ſtipatu compacta ſunt, ſupraſcripti Sedi paulo majora. Cauliculi unciales, altioreſque, luteolis floſculis præditi. Montoſis provenit, quemadmodum ſequens perpuſillum Sedum omnium minimum.

Per-

Perpuſillum Sedum omnium minimum indictum.

Exilia admodum foliola & floſculi luteoli pallidive in breviſſimis pediculis. Tota planta vix unciam æquat altitudine.

Sedum montanum perpuſillum luteolis floribus, Park. pag. 738. Icon. 737.

Th. Bot. è Lob. MS. This he acquaints you hath not been ſet forth by any Author that he knew before.

Sedum Alpinum 3. Cluſ.

Varietas. Hoc genus è montibus Helvetiæ erutum, minoribus foliis, craſſiore radice, & exilibus ternum & quaternum unciarum. Cætera conveniunt.

Sedum minimum petreum Norvegicum Illecebræ ſimilimum.

Cauſtico Sedo perſimile item iſtud quod

è

è Norvegico portu Flecheri vocato Londinum detuli; ſed minoribus ramulis caducis & foliolis: floſculos nondum vidi. Radix exilis, ſupervacanea.

Cotyledon minus montanum alterum Sedifolium longioribus foliis.

Perſimile aliquot annis à me cultum Medioburgi Mattiacorum memini, acceptum à viro humaniſſ: & fidiſſimo Thoma de la Foſſe, Medioburgenſi pharmacopœo peritiſſimo, miſſum ni labat memoria ex horto Conſobrini ſui Joannis Montonis junioris, cujus patris amiciſſimi & Pharmaceutices apud Nervios quondam peritiſſimi & celeberrimi meminiſſe juvat. Foliis anguſtioribus & duplo ſuperioris longioribus, alioqui non diſſimilibus. Florem videre non contigit, quia ſæva hyems abſorbſit. Non videtur idem cum altera Cotyledone quinta Cluſii molliore, anguſtioribus foliis, non dentatis,

Cotyledon altera quinta Cluſii.

tis, alba lanugine hirſutis, minus etiam incanis, brevioreque pediculo, multis foliis hirſutis ſepto; paucioribuſque floribus, hinc inde ſecundum caulem juxta alas ſparſis. In Eſcherianis jugis à Cluſio obſervatum & deſcriptum.

Linaria cærulea minor, D. Peliſſerii.

Linaria, tum ob florem, tum foliorum ſimilitudinem, quam cum aliis Linariæ ſpeciebus communem habet, rectè vocari poteſt. Planta eſt duorum pedum longitudinem nunquam, quod ſciam, exſurgens: plerunque enim pedem unicum ſaltem æquat. Radice conſtat exigua, oblonga & fibroſa: è qua caulis unus oritur; infima parte folia habens rotundiora, tria ſimul juncta, quæ ſitu & figura (minora tamen ſunt) à foliis linariæ valentinæ non multum differunt; media parte foliis, non omnino cinctus eſt, pauca enim ſunt; longa & anguſta, in ſummo denique flores perveniunt

planè

planè cærulei, multi vix ab aliis differentes; niſi colore & magnitudine. Semen exiguum, non omnino rotundum, ſed planum in ſimilibus cavitatibus continetur; floret Aprili & Maio, ſemen colligitur in fine Junii. Creſcit in ſylva grandmontia, cujus copiam invenimus, ſubter tamariſcos inter gratiolam. Multis aliis in locis, eandem ferè reperimus, ſed luteo flore ornatam, ac rotundis inferioribus foliis deſtitutam.

Linaria lutea minima altera.

Linariam luteam exiliorem totam folio, flore intenſiore luteo & dodrantalibus cauliculis ſemine accepto inter plura alia exotica à D. D. Pavio in Academia Lugdunenſi Batavorum profeſſore Anatomico, & Botanico Clariſſ. enatam colui Haknei in horto Medico C. D. Baronis Zouche.

Polium

Polium montanum pumilum Africum.

Palmaris indicta planta foliis Thymi durioris, verticillata, lignoſa, uti tota planta. *Polium montanum pumilum tenuifolium Africum,*

Park. pag. 25. Icon. 26. Theat. Bot.

Pulegium regium vulgare majus.

Majus verò reperitur, minus repens cubitalis altitudinis media via regia qua itur Londino Colcheſtriam. Reperitur etiam in quibuſdam hortis. *Park. pag. 29. ſine Ic. Theat. Bot. è Lob. MS.* The a being not known in other Countryes, as I think hath no other name than that which is ſet down in the title.

Stæchas odorata purpurea D. Peliterii.

Park. pag. 69. Ic. 70. Theat. Bot. è Lob. MS. Where he labours to make this a *Jacea.*

Ab ea Stæchados alterius inodoræ nomine inſignita, hanc omnino diverſam, te quoque nobiſcum aſſerere arbitror; licet ejus figuram multum repreſentat. Planta eſt cubitalis fere, quodammodo repens, atque lignoſa: radice conſtans longa, dura, foras nigricante, intus albida, fibroſa, ac citrina alterius æmula, hinc inde plures emergunt ſemperbini, id eſt, invicem oppoſiti, repentes aliquantulum ramuli, lignoſi, albicantes, cotonariæ fere modo; folia ferentes longa, anguſta, per ambitum nonnihil ſerrata, qua parte terram reſpiciunt, alba, & quaſi goſſipio obvoluta, ſuperiori verò nigricantia, parum piloſa; In quoque pediculo unicus, aut duo diverſi, tanquam ex echinatis, ſeu potius ſquamoſis capitulis oriuntur. Flores egregiè purpuraſcentes. Odoris jucundi, nec penicillum

cillum malè imitantur. Semina Cardui pinei, aut alterius modo plura, in iiſdem capitulis continentur. Florere ſolet menſe Junio, & ſequenti ſemen ejus ad maturitatem provenire. Rariùs profectò reperitur, nec a nobis niſi in Narbonenſi gallia viſa fuit, idque ſolum in monte Cæto, verſus Septentrionem, inter ilices cocciferas, & arbutos. Tota planta aromatica egregium ſpirat odorem: ſed per aliquot annos conſervata, multum evaneſcit. Inſignem tamen amaritudinem retinet, quæ vehementior adhuc in pullulantibus ramulis percipitur.

Lithoſpermum cæruleum D. Peliſſerii.

Pulchellam ſane ut aſpectu jucundam, unà nobiſcum Monſpelienſes ſtudioſi, ſæpius admirati ſunt plantam quam Lithoſpermum cæruleum nuncupavimus. Multum à majori milio foliis differt. Radix lignoſa, dura, obliqua, nigra, multis admodum fibris, ejuſdem coloris ornata; quæ

multos emittit ſurculos, ligneos, rectos, villoſos, fere cubitales, foliis multis in extremitatibus acutis, in medio latis, lanugine obductis, una parte nigricantibus, altera viridibus conſtantes: ramulis undequaque prorſus carent, ſed in ſummitate, quiſque Buglosſæ flores profert, elegantes cæruleos, umbellæ fere modo, quinque foliolis prædi-tos, ſed latioribus; ungues flaveſcunt. Semen nitidum, cæruleum, rotundum, ac non minus, quam flores aſpectu jucundum. Florem Maio oſtentat, ſemen fine Auguſti colligitur, ſed facilè decidit. Creſcit in prato Manſonnio, prope cellam novam, non longè à Monſpelio, à nobis tamen primum conſpectum fuit, in locis umbroſis montis Lupi, verſus meridiem. Tota planta guſtu calida, nulla tamen, aut exigua admodum adjuncta acrimonia percipitur.

Alſine tenella capillaribus ramulis altera elatior.

Hanc inter plantas meas ſiccas in chartis reperi.

reperi. Frequentiſſimos item tenellos, capillares ſeſquipedales profert ramulos & foliola rotundiora quam proxime deſcripta. Radix multifida, multum fibrata & tenuiſſima, iiſdem pollere viribus, quibus aliæ certum.

Bellis ſylveſtris minima.

Strigoſis locis triplo tota minor reperitur; alioqui pratenſi vulgari ſimilis.

Varietas. Minima etiam flore rubro pleno non injucundo in hortis occurrit noſtris.

Sideritis radice ſtrumoſa Anglo-Britannica.

Efficaces Sideritides ferrumina- *Park. pag.* 587. *Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.* The laſt is called by *Gerard, Panax Coloni*, from a Country Husbandmans cure of his own Leg therewith, which he had cut in mowing down a Field of Peaſe; but why he ſhould call it *Panax* in Latin, being not an Herb for all Diſeaſes, nor like unto any known *Panax* in form, I know not, unleſs *quicquid in buccam venerit*, he took that which came next to hand, for

for in my judgement it is a differing *Sideritis* from any before, and therefore I have given it the Title, *Sideritis Anglica ſtrumoſa radice*, for the cauſes ſet down in the deſcription. Whether *Ger:* making this a *Panax*, or *Park:* laying unworthy claim to the preſent title of the Plant, and this tranſcrib'd indignity, be the greater incongruity, I leave to be conſulted.

trices herbæ plurimæ, non ſolum à ferro ſauciatis dictæ, ſed ad alia metalla transferuntur. Monſpelienſis ſchola anno 1560, & 1561. ut ſatis ſuperque monuimus in Stirpium Adverſariis noſtris, pagina 223, & 224. Tetrahit & herbam Judaicam dixere Sideritidis ſpeciem elegantiſſimam; & in celebri unguento Martiato inſeruère. Hac cum careret Anglo-Britannia, aliam munifica Natura largita eſt, qua nobis uti licebit in compoſitione prædicti unguenti Martiati, ſecundum emendatam deſcriptionem Monſpelienſium, parati. Quia facie & viribus hæc plus affinitatis haberet cum Sideritidis familia, quam Panacea; Anglicam ſive Anglo-Britan: Sideritidem ſtrumoſam diximus, cum ob radices aliquot folliculis oblongis ſtrumoſis, inflexis præditas, tum ob decantatiſſimarum expertiſſimarumque hu-

jus

jus plantæ virium penes colonos ſive agrorum cultores elogium, qui colonum vulnerariam Herbam, omnia ad perſanationem reducens, vocarunt; Britannice Clowns Woundwort, or Allheal.

Foliorum æquabilitatem, florumque purpurantium in verticillis delineari procuravi: Caules bicubitales, anguloſi Lamii lutei. Provenit variis Anglo-Britanniæ locis juxta Hackneum Londinenſis agri, foſſarum marginibus pedeſtri itinere via deflectente ad campum armum ovile vocatum. Collegi item variis locis, etiamque in Kantiæ comitatu retro cœmeterium Nettelſteed, juxta ædes clariſſimi Nobilis Viri Joannis Scot, in agro Secalino, non procul à prædio Miniſtri verbi Dei D. Walbrouck.

Cur Britannus cenſor, nomenclatorque & Plantarum pſeudo-baptiſta Panacem dixerit Coloni, neſcio: nihil enim commune cum Panacis differentiis habet, Sideritidibus proximior eſt. Jejunam ex herba Unguenti deſcriptionem dedit. Pagina rapſodiarum ſuarum 852, & 853. (ut ſunt pleraque ſua.) Sui oblitus, videtur eadem propoſuiſſe

ſupra

ſupra pag. 348. in Conſolida Sarracenica.

Betonica Danica maxima.

Betonica Danica, Park. pag. 614. Icon. 615. Theat. Bot. è Lob. MS.

Ex Hafniæ & Elſenoræ Daniæ hortis in Angliam, cum Nobiliſſ: Baronem Edv. Zouche, in legatione comitarer, detuli Betonicam foliis humanæ manus fere magnitudinis, ſerratis, & aliquantulum hirtis. Caulis cubitalis & amplior. Cætera Betonicæ ſimilia, ſed triplo majora. Locis citatis non alia utuntur Betonica Medici, & Pharmacopœi.In hortos Anglo-Britanniæ tranſlata minor fit. Hanc primus in Angliam detuli.

Salvia Pinnata major Danica.

In hortis Hafniæ paſſim oritur, & nihil niſi foliis pinnatis à noſtra hortenſi Salvia vulgari diſcrepat. Folio longiore majore & breviore minore occurrit.

Leucoium

Leucoium Creticum ſpinoſum incanum luteum. Bauh. Pin. pag. 201.

Leucoium Creticum ſpinoſum D. Cluſii.

Leucoium ſpinoſum cruciatum Alp. Pl. exot. pag. 37.

Verbaſcum truteſcens ſpinoſum, ſive Blattaria Cretica ſpinoſa, Park. pag. 65. *Icon.* 66. *Th. Bot. e Lob. MS.*

Verbaſcum ſpinoſum Creticum D. J. Monnel. Elegantior delineatio. V. ap...

Elapſis aliquot annis generoſus Vir Medicinæ Doctor Joannes de Monnel, Dominus de Bouverix, antiquiſſimæ Nervien-

ſis Civitatis, & quamplurimorum Virorum Nobilium ſtipendiarius, mihi veteri amicitia conjunctus, noſtrique Botanici ſtudii perdoctus & amantiſſimus, ad me miſit hanc Plantam ſpinoſam exoticam cum multis aliis, de quibus ſuo loco, in Reipublicæ & Poſteritatis utilitatem; quam fælicius nomine donavit Verbaſci ſpinoſi Cretici (quæ appellatio longè melius quadrare illi videtur) quam Leucoii Spinoſi, apud Cluſium lib. 3. rariorum plantarum fol. 299. accepti à Jacobo Plateau, qui Domino Cluſio iconem miſit cum brevi deſcriptione; Cluſius tamen ambigit an Leucoii ſpecies dici poſſit, quia foliorum floris numerus reclamat: Et revera ut præfatus D. Monnel me monuit ſemen profert non in corniculis, ſed incluſum in pericarpiis Phlomi: flores item lutei quinque foliis conflati, uti Verbaſci generis, quæ cito pereunt, & digitorum contactu facile defluunt, qui mane expandi incipiunt, juxta veſperum autem, ut aliæ Verbaſci ſpecies, labuntur.

Iconem propria manu delineatam cum Planta ſicca & deſcriptione ad me miſit D. Antonius

Antonius de Monnel apud Nervios Doctor Medicus egregius, præfati ſenis Joannis Monnel filius, quæ ſic habet. Extollitur ad pedes duos & ſemiſſem, plus minus: Radix in plures diviſa fibras, craſſiores & minutiores: Caulis unciam aut digitum craſſitudine æquat. in alas craſſiores & minores brachiatus ſpinoſus, flaceſcunt ſingulis annis, novis repullulantibus tenellis una cum foliis & floribus: folia Cinerei ſunt coloris ut Jacobeæ marinæ longiuſcula & ſerrata. Cætera ſupra enumerata ſunt. Planta reſtibilis & perpetua eſt, aut perennat, modo hyeme tueatur à frigoris injuriis. Ex Creta ſemen miſſum fuit Domino Monnel. De facultatatibus, quia planta rara, nihil adhuc habemus: guſtus & odor explorari poterunt. Ut ſatisfiat lectori candido ipſius præfati Monnelli judicium & mera verba ſubnectere viſum fuit, quæ ſic habent.

Joannes de Monnel Dominum Matth. de Lobel ſalutat.

Verbaſcum frutescens ſpinoſum creticum (perdoctè Lobeli) deſcripſit Dom. Cluſius, lib. 3. cap. 7. rariorum plantarum hiſtor: ſub nomine Leucoii Cretici ſpinoſi, quibus rationibus ductus, ignoro. Me illi Verbaſci nomen à Leucoio disjunctum, feciſſe, hæc ſigna moverunt. Semen in baccis, ut aliæ verbaſci & blattariæ ſpecies profert: Leucoium ſeu Keiri, ſemina in ſiliquis contenta gignit: Præterea ſemen verbaſci rotundum, minimum, uti papaverum ſemina conſpicitur, Leucoii vero depreſſum & planum, itemque majuſculum exiſtit. Flos hujus quinque folia inſtar Verbaſci, Leucoium vero quatuor ſolummodo continet. Verbaſci flos cito perit, & digitorum tactu facilè decidit, manè incipit expandi, juxta veſperum, ut alia Verbaſci genera, labitur: Leucoium vero flores ſuos longiori temporis curſu, immo quandoque octo diebus aut

aut pluribus, ſervat. Quapropter Verbaſci, non autem Leucoii nomen huic plantæ merito adſcribendum judico.

Primula veris Heskethi, Ger. emac. pag. 782. Ic. ibid.

Primula veris Hesketbi fl. multiplici ſeparatim diviſo, Park. Parad. terr. p. 244. Ic. 243.

Primula veris gemino flore, altero ſuperiore luteo, altero inferiore viridi innato. Non antea latinitate dotata.

Hujus generis aliam pro noſtra amicitia, mihi amiciſque primus communicavit Clariſſ. Vir D. Guil. Coys, generoſus Anglus, hujus amæniſſimi ſtudii inter Anglo-Britannos hodie amantiſſimus & peritiſſimus; cui caules item, uti ſuperiorum aliquantulum hirſuti, ſpithamæi, aut ſeſquipalmares, umbellæ inſtar copioſis è ſeſquiuncialibus,

uncialibus, longioribuſque pedicellis, ſparſis faſtigiati, floribuſque geminis ſuperbientes; inferioribus viridibus, brevioribus, veluti caliculis fimbriatis, rugoſis plicis præditis; ſuperioribus vero ex viridium floſculorum centro prodeuntibus; longioribus concavis Admirabilis Peruviani floris vocati quadantenus luteis ſummo bullatis, corolla lutea cinctis, & quinque apiculis luteis, medioque ſubpallido piſtillo exiguo donatis.

Sylvarum Primula, ſingularibus pediculis, geminis floribus alteri altero innatis prædita.

Hujus ſuperior & inferior flos luteus eſt. Cætera à ſuperioribus non differunt. Hæc debetur Generoſo Viro D. Hesket Anglo. In Comitatu Lancaſtriæ Septentrionalis Angliæ.

Primula

Primula veris ex luteolo ſub-viridi altius laciniata aut ſimbriata.

Convenit foliis & radicibus aliis Primulæ ſpeciebus. Primo nacta in eleganti oppido Nantwich vocato præfecturæ Weſtceſtrienſis (ubi optimum ſal paratur ex ſalſis admodum fontibus) opera Doctiſſ: & amiciſſ: Viri D. Alexand: Reade, Medici & Chirurgi Doctiſſ: ex citato loco Plantam Londin: detuli & tranſlata fuit à Doct: Viro Jacob: Coel generi meo, hujus ſtudii amæni amantiſſimo Altam Portam, Londinenſis ruris, ubi non modo colit hortum raris Plantis ditatum, ſed etiam Plantarum ipſarum Encomium docte literis celebravit.

Primula foliaceis capitulis ſubtus & inter flores prædita.

Alterâ non minus rara, & elegante me impertivit

impertivit D. Guil: Coys, cui flores lutei, quinque aut ſexpartiti, è ſummo pendulo calyce patuli, apiculiſque luteis præditi, umbellæ inſtar in breviſſimis pediculis congeſti, quinis foliolis, ſubtus calycis vice majuſculis, & inter floſculos minoribus, Plantag: roſeæ ritu quadantenus radiatis & ſtipatis, atrovirentibus foliis, leniter ſerratis, ſecundæ ſpeciei geminati floris inferioriſve viridis ſimilibus; brevioribus tamen & rotundioribus. Omnes ob elegantiam in nonnullis hortis aluntur.

Primula altera foliacea floribus diſſectis.

Hæc ambigit & media videtur inter fimbriatam aut laciniatam, ſed minus profunde diſſectis floribus multo. Iiſdem provenit hortis.

Primula

Primula veris flore viridi umbellifera.

Criſpioris elegantiæ floris Primulam nobis copiam fecit ſtirpium ditiſſimus hortus Clar: Vir: D. Coix flore in umbellis viridi, medio luteo cincto.

Digitalis fruteſcens ſive arboreſcens vario flore Robini.

Bugloſſum ſive Borrago dulcis mellita Lancaſtrienſis.

Foliis eſt Borraginis vulgaris minoribus albidioribuſque floribus purpurocæruleis minime ſtellatis, ſed bugloſſi echioidis & Borraginis vocatæ mediis, saporis mellis. Provenit in inſulis

Bugloſſum dulce ex inſulis Lancaſtriæ, Park. pag. 765. Icon. 766. Theat. Bot. è Lob. MS. This he informs you hath not been related by any before.

Lancaſtriæ vicinis. Hanc in horto Hacknei altere conati fuimus, dono D. T. Hesketi. Sed fruſtra nobis autem periit.

Acorus Indicus aromaticus concretione & habitu Galangæ majoris; folio Nympheæ.

Hujus Acori radicem virentem & ſucco turgidam, aromatico ſapore anno reparatæ ſalutis 1600. Londini deguſtavi in horto amiciſſimi & ſimplicium ſtudioſiſſimi V.D. Joh. de Franqueville. Eadem item Planta in vireto ſuburbano Thomæ Warner ſeduli Botanici viruit à nauclero ex Occidua India reduce accepta. Circa genicula pullulationes, & folia Nympheæ aut Ariſari ſive Ari majoris Calceolarii Veronenſis, pinnata, ſature viridia edidit. quæ tamen hyemis injuria & incuria periit. Flos verſicolor diſcum æquare fertur.

Cyclamen odoratum Antiochenum humile ampliſſimo flore rubro Robini.

Cyclamen Antiochenum humile amplo flore pallido, imo rubro, foliis amplis & ſurrectis: flores edit ternos in uno foliato cauliculo. Bulbus Cyclamini Verno ſimilis, ſed multo major, craſſioribus fibris donatus. Floret ab initio Novembris. Vix per menſem ſub terra latet.

Cyclamen anguſtifolium folio Ophyoglosſi.

Provenit in inſula Elba magni ducis Hetruriæ. Flos Cyclaminis vulgaris è pediculo quatuor unciarum. Ut Robinus author eſt, & præcedentium.

Cyclamen Neapolitanum flore niveo.

Cyclamen Romanum autumnale folio Hederæ.

Amplos gignit flores; foliis porphireis maculis argenteiſque donatum ut ſupra vocatum Neapolitanum.

Wachoacam Virginea.

Aſter Virgineus luteus membranaceo caule, Park. pag. 130. Th. Bot. ſine Ic.

Sub qua claſſe redigenda ſit hæc nova exotica planta ambigitur: Caules edit pollicis craſſitudinis, & denum pedum plurimorumque longitudinis undequaqué pinnatos, in quibus folia alternatim latiora, nervoſa. Flos quodammodo bullatus, multis acervatim conſtans collectis gemmis luteis, umbonis inſtar, luteis foliis radiatim cinctus. Uſus hactenus ignotus. Hanc primum conſpexi in botanicis hortis Londini

Londini ruris aut ſuburbani D. Bartholomæi Seelen deinde in aliis.

Saniculæ alpinæ ſimilis planta elegantiſſima indicta.

Hæc pulchella planta provenit in horto amiciſſimi viri, hortulani egregii Flandri Bartholomæi Seelen, ſpithamæo pedalique gracili brachiato caule, floſculis albis, nitidis, medio foliorum floris punctis & notis coccineis venuſtiſſimis decorata; ſtaminibus albidis & apiculis ex fuſco rubentibus donata. Unumquodque folium ad centrum flavâ macula præditum eſt. Radix fibroſa.

Convoluulus

Convoluulus peramænus Robini, cœleſti Cyaneo ſive Aſureo flore, ſtella medio fundo alba & lutea præditus.

Convoluulus purpureus aſcendens Robini.

Annua planta eſt, folio cordis effigie, flore purpuro Violaceo, ſtella ex fuſco rubeſcente prædito. Ternum ſemen, nigrum, triquetrum in folliculo.

Volubilis Africana indicta, minus pinnata.

Convoluutus minor Africanus, Park. pag. 171. Icon. 172. Theat. Bot. è Lob. MS. This hath its title in the forehead as much as is neceſſary to be ſaid.

Inter quamplures plantas Africanas, hanc nobis largita eſt Africa, quæ uti aliæ regiones ſuas peculiares non deſcriptas herbarum producit varietates, quam in Botanicorum gratiam prodere in lucem viſum fuit; è parva radice cauliculos ſpithamæos, humi fuſos edit; & ab aliis ſui generis,

neris, foliis minus juxta pediculos, uti Pervincæ pinnatis. Floſculi inſtar Campanulæ. An lacteſcit, neſcio, quia non niſi ſiccam plantam conſpexi.

Helxine Ciſſampelos altera minima Anglo-Britannica.

Minimam ſimilimam collegi juxta molendinum C. Vir D. Garth è regione Drayton. Tota Planta exigua, vix palmum ſuperans.

Ciſſampelos altera Anglica minima, Park. pag. 172. ſine Icon. Theat. Bot. è Lob. MS.

Not ſpoken of by any before.

Africana pinnata tenuifolia, Helxines fol: planta.

Linaria pinnata anguſtifolia Africana Boelii.

Iſtis aſſociare hanc viſum fuit ut poſteritati innoteſcat. Fruſtulum virgulti cubitalis

lis altitudinis erat, folia anguſta, pinnata; floſculi exigui ex luteo herbacei. Plura non vidi.

Hedera Virg. Ger. emac. pag. 858. ſine Icon.

Quinquefolia Canadenſis Cornuti, pag. 59.

Hedera quinquefolia Virginenſis, Park. Th. B. 680.

Vitis Virginea tenui ſarmento ſcanſilis. Exactior deſcriptio.

Novam indictam plantam à quadam foliorum Vitis ſimilitudine, Vitis nominis anſam dedit. Quam Virgineam à natali ſolo Anglo-Britanni dixere; qui quidem hanc rariſſimam ſtirpem cum multis aliis nondum literis proditis plantis ex prædicta Virginea regione nacti ſunt; quos fructus protulit adhuc me latet. Folia ſerrata uno pediculo

pediculo ut plurimum quina aut quinque partita & ſæpe quaterna, quandoque terna è tenuibus prælongis ſarmentoſis caulibus. Vitis inſtar flexuoſis, muros, parietes & ædificia celſa ſcandens uti Hedera & claviculis ſuis capreoliſve pertinaciter iiſdem adhærens. Fructus ſive uvæ inſignes & guſtu dulces produntur.

Plantam nacti ſunt amici noſtri Londinenſes ſtrenui hortorum cultores, D. J. de Franqueville, D. J. Parkinſon, Bartholomæus Seelen, & alii Stirpium amantes.

Wiſanck, ſive Vincetoxicum Indicum Ger.em.pag.899. Ic.ibid.

Apocynum majus Syriacum rectum Cornuti, pag. 91.

Apocynum rectum latifolium Americanum, Park.p.385.Ic.386.

Apocynum Virgineum. Ditiſſimum Iconiſma.

Proculdubio Virgineam hanc Plantam lacte dulci undequaque turgidam affinem eſſe AEgyptiæ plantæ Beidelſar Proſper. Alpin: vocatæ, plures emittentis quaternum cubitorum caules digiti parvi craſſitudinis, maculis aſperſos, purpurantis phoci coloris; Intubi latifolii decuſſatim ex adverſo binis foliis præditos. Superne & inter folia floſculi acervatim prodeunt quatuor in baſi latiuſculis foliis conflati, quinis vero interioribus quaternis item in centro albis inſigniti, quibus

quibus fructus bini aut terni ſuccedunt corniculati, inſtar Cucumeris Aſinini hiſpidi, digiti modici vocati longitudinis, ſuperne acuti & parum adunci, ſemine plano compreſſo & bombyce farcti, ut Apocyni Syriaci ſive Beidelſar Alpin: Radix uti Solani Somniferi vagatur. In horto D. de Franqueville & Botanicorum Londinenſium hodie dominatur. Fructus & ſemina menſe Auguſto 1615. adhuc immatura erant & incompleta.

Varii coloris peregrini pepones.

A Clariſſ: Viro D. Hieron: de Winghen elegantes melopepones enatos ex ſemine exotico accepi, quorum pars pyriformis turbinata fuſci viridis coloris pars altera viriditate cooſlata pantherinis maculis atrovirentibus ut porphyrius lapis conſperſa, Colocynthidis pyriformis majoribus.

Alter rotundior, parum compreſſus por-

 phyriticis

phyriticis pantheriniſve atroviridibus maculis intervenientibus ornatus.

Tertius & quartus omnino ſimiles ſunt, ſed paulo majores viriditatis atrioris aut dilutioris.

Quintus ovalis ſine punctis.

Sextus luteus ſubrotundus.

Septimus longior luteus duplo major.

Doronici varietates.

Anno reparatæ ſalutis 1577. aliud Doronici genus in horto ſuo Antuerpiæ plantarum exoticarum ditiſſimo prope D. Georgii templum alebat noſter Coudenbergius peregrino ſemine natum, obliquè ſparſa radice, Doronico primo ſimile; foliis rotundioribus, tertio non diſſimilibus; caule cubitali aut ſeſquicubitali, parum ramoſo: flore amplo, amæno Secundo æmulo. Periit hodie in hortis noſtris, quemadmodum ſequens.

Doronicum

Doronicum fibrata radice D. J. Delfii.

Inter D. J. Delfii & D. Brancionis penſiles vaſis paratos hortos anno 1580. D. Joh. Hoboke Grammateo Antuerpiano Doronici genus, tota facie & flore ſuperiori ſimile, peregrino itidem ſemine enatum; radice tamen valde varium, quæ tota fibris conſtabat.

Geranium montanum alterum Robini.

Flores purpureos edit; folia Geranii fuſci tenuiora.

Geranium alterum elegans flore variegato Robini.

Folia ſuperioris ſimilia, ſed nigra macula donata.

Geranium fœtidum.

Park. pag. 709. Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS. The 4 is called by thoſe of *Mompelier* as it is in the title.

Propter Itineris longitudinem, aliaque multa incommoda, ac præcipuè ob ejus magnitudinis difficultatem, integram radicem ad te mittere non potui; tota radix magna eſt, nodoſa, ramoſa, dura, & veluti lignea rubricans, nec biſtortæ radici valde diſſimilis, intus albida. Huic undequaque ut in omni Geranii ſpecie pediculi erumpunt plures, folia proferentes multum inciſa, ita ut aliqui ſtudioſi geranium inciſis foliis nuncupare maluerint, ſunt præterea parum hirſuta, non omnino viridia, ſed vetuſtiora ferè flaveſcunt, alii etiam pediculi aſſurgunt

aſſurgunt nudi tres aut quatuor alios in ſummitate minores producentes, quorum quiſque florem emittit, qualem in acu moſchata officinarum videre licet, ſed majorem: quo deciduo acus ſimiliter provenit, ſed robuſtior ac plura ſemina continens. Floret Maii fine, & initio Junii, ſemen profert Auguſto. Creſcit ad pedem montis lupi, verſus Septentrionem in locis umbroſis, ac ſolo ſatis pingui, tota planta radix potiſſimum, tanto fœtore recens ſcatet, ut adhuc jejuni olfacientes & eam guſtantes in lypothymiam inciderent, quo odore exiccata aut arefacta prorſus privatur.

Ranunculus perelegans D. Franqueville, foliis aculeatis,

Franqueville Ranunculum diximus, quia Botanici plus florent & regnant hodie plus quam unquam, & ad diſtinctionem novarum & elegantiſſimarum Plantarum nomina cultorum aut inventorum earum indere ſolent. Hic inſignis Ranunculus floſculos edit dilute

dilute ex albo ſubvirides, acervatim & veluti umbellatim, miro Naturæ artificio, elegantiſſim: ſpectaculo, ſummo dodrantali aut pedali cauliculo, Moly aut Cepæ in tenuiſſimis pediculis, umbellæ parvæ inſtar ſtipatos, foliolis duodecim, florum Aſtrantiæ nigræ inſtar radiatim vallatos. Folia Ranunculi, ſerrata & leviſſimis aculeis prædita.

Semen in ſingulis apiculis fæniculi majore, longioreque, ab aliis Ranunculis alienum.

Ranunculus flammeus anguſtifolius.

Dodrantali cauliculo nudo, ſeſquiuncialibus anguſtis foliis flammulæ vulgaris. Hæc G. Boelio debetur: ubi provenerit non occurrit. Inſcriptio ſatis plantam exprimit: non opus copia verborum.

Varietas. Hujus varietatem majorem à natalibus udis, pinguioreque ſolo fecere Botanici nuperi.

Ranunculus

Ranunculus pumilus alter anguſtifolius.

Hujus familiæ alter unico flore præditus & tenuiſſimis foliis donatus. Pediculus ternum digitorum altitudinis.

In hortos forte tranſlatus major evadere poteſt.

Ranunculis conjunxi ut à ſedulis Botanicis obſervari poſſit.

Park. pag. 337. Icon. 338. Theat. Bot. è Lob. MS. The 7 and 8 are Plants never written of by any before, and therefore their titles muſt ſtand as they do.

Perfoliatum Gramineum Helvetium, Alpinum pumilum, facie Ranunculi pumili Narbonenſis gramineis foliis latiuſculis.

Flores quinos, quinque foliis præditos, ex viridi ſubluteos edit, intus luteis glomeratis, Anethi minoribus, in ſemiuncialibus

Ranunculus gramineus perfoliatus, Park. Th. B. pag. 335. Ic. 338. è Lob. MS.

T pe-

pediculis, ſummi ſeſquiunciales cauliculi ex conjunctis duobus gramineis in unum junctis, non ſecus ac Centaurei lutei ortis. Radix fibrata gramineis foliis ſeſquiuncialibus & duarum unciarum donata, Ranunculi graminei Narbonenſis ſimilibus. Hoc perfoliatum genus debemus egreg: Doctori Medico Joanni Fleiſſero Sileſio, cujus memini in Fragaria nana ſylveſtri montana Helvetia.

De facultatibus nihil exploratum habeo.

Ob quandam foliorum & florum ſimilitudinem Gramineis foliis Ranunculis ſubjunxi.

Aſiatici Ranunculi varietates Veſpaſiani Robini.

Aſiaticus flore pleno gemino altero alteri innato, coccineo: ex Italia delatus.

Aſiaticus flore ſubluteo, venis rubris diſtincto, flore ſimplici è foliis incanis maculis nigris præditus, cubitalis caulis.

Tertius flore rubello.

Quartus

Quartus flore albo lineis rubris aſperſo. Alter candido flore: foliis maculis albis præditus: pedalis caulis.

Ranunculus Aſiaticus flore flavo amplo venis rubris vario C. V. Matthæi Caccini.

D. J. de Franqueville alteram varietatem alit radicum longiore congerie, Luſitanici aut pleniſloris Aſiatici Ranunculi rotundioris folii cætera reſpondent. Miſſus Amſterledamo in Batavis ſtriati varii coloris grumoſi Ranunculi nomine inſignitus.

Ranunculus rotundifolius Cretico Cluſii addictus.

Diu multumque hæſitavit Gaſparus Parduyn apud noſtrates Pharmacopœus ac rei herbariæ ſtudioſiſſimus, eſſetne illa Ranunculi ſpecies, quæ à doctiſſimo Cluſio Ranunculus latifolius creticus dicitur. Profectò

aut in lucem jam editam male depictam, aut hanc plantam à deſcripta omnino ſpecie differre fateamini neceſſe eſt, nam præterquam quod radicem habeat, grumoſam, multis fibris longioribus partim ab imſima parte ipſarum grumarum exortis, partim à ſuprema radice proſilientibus conſtat. Hinc folia emergunt nunquam plura quam quatuor, à nobis obſervata, non platani modo ſerrata, aut dentes huc illuc ita eminentes habentia, ſed rotundiora, villoſa, viridia, una parte magis flaveſcentia. in uno quoque folio, ſciſſuræ quinque aut ſex in eo etiam differre videtur, quod foliola quæ in floribus conſpiciuntur flava & glabra rotundiora aut fere plana, nunc temporis nimirum menſe Aprili ut Maio florem videre licet, idcirco plantam exiccatam ad te miſimus, (Vir erudite) ut nos adhuc ambiguos & hærentes certiores reddere velis.

Ranunculus

Ranunculus facie Betonicæ D. Peliterii.

A fælici ingenio ac laudabili tuo judicio hæc planta opem requirit: neque enim abſolutè Ranunculus neque abſolutè betonica dici poteſt: quum utriuſque naturæ particeps eſſe videatur. Nam primo intuitu, ac nullis adhuc inſpectis floribus, per Alpes iter facientes, betonicam indicavimus. Folia enim ſunt rigoſa, in ambitu ſerrata ac betonicæ vulgaris foliorum prorſus æmula, ſed minora, inferiori parte, qua terram ſpectant, albicantia, ſuperiori viridia, & magis ad fuſcum colorem vergentia, quam quæ betonicæ adnaſcuntur. Radix tenuis eſt, fibroſa, & talis fere, ſed multo minor, qualis in prædicta Betonica cernitur. Caulis primo unicus emergit (poſtea tamen plures ſubveniunt) tenuis, nudus penitus, ſed parum villoſus, altitudine majorem digitum vix ſuperans, cui

Ranunculus montanus Botonicæ foliis, Park. pag. 335. Icon. 338. Theat. Bot. è Lob. MS.

cui unus flos, plane Ranunculi ſuppoſitus eſt, quinque conſtans foliis, albis (quæ totidem foliolis viridibus & hirſutis ſub unguibus ſuſtinentur) & inſtar alterius ſpeciei ranunculi montani ſecundi Cluſii in extremitatibus acutis. Pluribus etiam ſtaminibus & apicibus ornatus, eodem modo ſemen provenire incipit, quo in Ranunculo, ſed maturum videre non licuit. Creſcit in altiſſimorum montium jugis ubi nives perpetuò abundant, præcipuè in monte illo qui ab Incolis Montſ-ſenis vocatur. Floret menſe Auguſto. Tota planta amaritudinem cum inſigni aſtringentis facultate poſſidet: hinc inferre poſſumus ſtomachicis frigidis & hnmidis affectibus convenire ac ventriculo valde familiarem eſſe.

Nemoroſus Ranunculus Polyanth.

Multis annis elapſis, multiplici floris fætura hunc Ranunculum aluimus, munere D. Joannis de Franqueville. Alioqui omnia vulgatiſſimo

vulgatiſſimo Nemorenſi Ranunculo non admodum diſſimilia.

Albo aut purpuraſcente flore variat; Spontaneus repertus in quibuſdam ſylvis Brabantiæ.

Centaurium majus luteum foliis profunde laciniatis D. J. de Franqueville.

A Centaurio majore luteo altero diſſidet foliis profundioribus multo laciniis ipſo Centaurio majore vulgari, colore ſubviridi cæſio aut ſubglauco cinereo Flores conveniunt cum Centaurio luteo magno quemadmodum ſemen & radix. Quotannis floret in horto D. de Franqueville, ſed ſemen non maturat. Plures emittit bicubitales caules.

Archangelica

Archangelica multiplicata latiore umbella.

A ſuperiore diverſam alebat in horto ſuo Flandrico exoticis plantis ditiſſimo D. à Reynoutre umbella duplici & multiplici, & ſemine Cicutariæ fætidæ latifoliæ, quam poſteritati affabre depinxit Jacobus Corenhuyſe Brugenſis, juſſu præfati D. à Reynoutre. Folia, caulis, & cætera ſuperiore Norvegicæ Archangelicæ non diſſimilia.

Valeriana

Valeriana montana D. Peliterii.

Radice conſtat parva, fibroſa, dura ac nigricante. folia non ut in aliis Valerianæ ſpeciebus, ſed multa circa caulem proveniunt. quodcunque ſuo cuique pediculo tenui, oblongo, plano ac ſurrecto, ſuperpoſitum eſt. Sunt præterea non prorſus viridia, ſed flaveſcentia, nervoſa, Betonicæ non diſſimilia, ſed breviora, latiora, ac eodem fere modo, ſed minus, in ambitu ſerrata, nul-

Valeriana Alpina major, ſive latifolia, Park. pag. 120. *Icon.* 121. *Theat. Bot.* Where he would make this Plant to be *Valeriana ſyl. Alpina* I *latifol. Cluſ.* which is the XI in *Bauh. Pinac. pag.* 164. *b.* and further, to be *Vcl'riana Alpina prima quæ* 4 *in Phytop.* 3 *in Prod. Bauh.* and the X *in Pinac. ibid.* and alſo the *Valeriana Alpina Scrophulariæ fol. quæ* 6 *in Phytop.* 4 *in Prod.* and is the XII *in Pinac. ibid.* and it is probable he affirmeth it to be the *Valeriana montana* of *Lugd.* which is the XIII *in Pinac. pag.* 165. And as if theſe confuſions were not ſufficiently monſtrcus, he proceeds, And is alſo the ſame that *Pelliterius* ſent from *Mompelier* unto *Lobel* in his life-time under the name of *Valeriana montana*, which I do here publiſh. Which laſt opinion, how ridiculous *Parkinſons* language phraſing it thus, (I leave to eaſy peruſers) The root is large, round, and whitiſh, whilſt *Lob.* Illuſtrations adorn it with a *Radice conſtat parva, fibroſa, dura ac nigricante.*

laque lanugine obducta. Caulis erumpit manus longitudinem altus, aut altior, rubricans cavus non omnino nudus, ſed aliquot folia, magis inciſa, invicem oppoſita, utrumque latus ornant. In ejus ſummitate, in tres ut plurimum, aut quinque ramulos dividitur, flores omnino Valerianæ majores multos parvos, carnei aut ſubalbicantis coloris producentes. Floret menſe Junio. Naſcitur in ſylva ferarum ac locis umbroſis, horto dei vicinis.

Daucus Cretenſis folio craſſiore.

In horto Bartholomæi ex ſeminibus Franc: Uſan ortus.

Phyteuma Monſpelienſium alterum folio minus laciniato.

In Monſpeliano agro pinguiori humidioreque agro, æſtate minus fervida reperitur hoc Phyteuma vocatum foliis majoribus, minimè ſinuatis: Radice & floribus cum

altero

altero convenit, videturque tantum ſoli humidi & cæli differre, quemadmodum phu minimum Narbonenſe & Belgicum aut Anglicum diſſident, quibus in acetariis hiberno tempore veſcuntur lactucæ vice quia ejus uſum ſupplet. folia æſtatis fervidioris & aridioris initio mutantur, dividuntur & longè anguſtiora evadunt, & Narbonenſe aut calidarum regionum Puu minimum æmulantur.

Milleſolium Creticum latifolium, Rob.

Frutex pedalis longitudinis, foliis Chamæpiteos alteræ fimbriatis, vel Ambroſiæ.

Pedicularis Danica maxima.

Sola magnitudine variat: aſſurgit enim ad cubitalem, pedalem & altiorem altitudinem, juxta paludes, & ſtagnantes aquas agri Hafnienſis.

Chamæmelum pumilum Africanum.

Park. pag. 85. Ic. 86. Theat. Bot. è Lob MS.

Quælibet regio peculiares alit plantas. Hæc G. Boelio debetur, ſeſquipalmaris aut dodrantalis, foliis tenellis. quam Cotulæ fætidæ latioribus, bullatis Anthemid: Chriſanthemi Herbariorum. Radix parva, parum fibroſa. Guſtum & odorem explorare non licuit, ob plantæ ariditatem; eam tamen exhibeo, ut ſi alicubi occurrat exagitari poſſit.

Varietates. In Medioburgenſi Matthiacorum agro duæ aut tres hujus grandioris Chamæmeli omnibus ſui partibus varietates conſpicuæ, ſed flores folia ambientia ut plurimum albent; quandoque averſa parte ſuaverubent, ut Bellidis ſylveſtris.

Aliquæ foliis tenuioribus viridioribuſque viſuntur, Cotulæ fætidæ concoloribus, ſimilibus non gravè olentibus.

Aliæ latiore folio præditæ, eoque gravi, Cotulæ fætidæ odore.

Buphthalmum tenuifolium Africum Boelii.

Propius eſt Buphthalmo quam Chriſanthemo Africo nuncupato, foliis & flore luteo Anthemidis. *Park. pag. 1372. Icon. ibid. Theat. Bot.*

Lonchitis altera minor.

Hujus ſpecies tota minor reperitur prope Colcheſtriam, etiamque alibi aquoſis marginibus & juxta ſepes, quam primus mihi oſtendit Thom. Boxton, Pharmacopœus ibidem doctiſſimus. *Park. pag. 1043. Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.*

Equiſetum minus omnium tenuifolium.

In collibus altæ Portæ, vulgo *Park. pag. 1201. Icon. ibid. Theat. Bot. è Lob. MS.* This is of our own Land not mentioned as I take it by any Author.

Highgate,

Highgate, tribus aut quatuor à Londino miliaribus Anglicis in pratis occurrit, etiamque ſylvoſis aſperginibus; multiplici longa tenuiſſimorum junceorum foliorum caudata fætura, aſpergillum imitantia, Pedalis aut paulo altior elegans planta.

Synanchia altera Anglica, ſive minor.

Supradictæ aſſimilatur cum guſtu præſicco, ſalivam ciente, tum facultatibus; longè tamen minor, ſubfuſca radice, tenuiſſimis cirris capillata; cauliculis copioſis humi fuſis, ſeſquipalmaribus, anguloſis, geniculatis & tenuiſſimis foliolis Gallii longè minoribus ſimilibus. Floſculi ſuaverubentes racemoſi. Cretaceis gaudet montoſis prope Drayton è regione Vectis Inſulæ.

Trifolium hæmorroidale.

Lotus hæmorroidalis major, ſive Trifolium hæmorroidale majus, Park. pag. 1100. Icon. 1302. è Lob. MS.

Ad Trifolium potius quam ad aliud quoddam genus propter affinitatem, quam cum Trifolio habere creditur, cum reliquis Monſpeliacis Doctoribus referri debere cenſeo; hæmorroidis nomine inſignitur non ſolum facta comparatione oblongarum rotundarumque ſiliquarum cum ani externis venis erumpentibus: ſed maxime ob inſignem proprietatem quam poſſidet in medendis hæmorroidibus; eadem proculdubio mihi videretur planta quæ à doctiſſimo Cluſio Dorychnio congener dicitur, niſi illi folia tribueret. Dorychnii foliis breviora, terna aut quina ſimul juncta, quandoquidem hæc planta radicem habet longam, rectam, lignoſam, paucis admodum fibris cinctam, quæ uno veluti ſtipite plures emittit virgulas flexiles duras ac craſſiores quam in Monſpelienſi Dorychnio, ex quibus alii ramuſculi ſed minores naſcuntur folia acuta

albicantia

albicantia (quemadmodum tota planta) lanuginoſa, ac eodem fere modo diſpoſita ſunt, ſed latiora multo ac longiora quam in Cluſii Dorychnio, quinque ut plurimum cernuntur, ſed tamen duo inferiora majori ramulo adhærent, & ſuo quodque pediculo ſuſtinetur, inter quæ tria reliqua diſtincta, unicum communem habent pedunculum, quæque aliis duobus magis eminere videntur, hinc trifolium meritò dici poteſt, adde quod in junioribus plantis non plura quam hæc tria obſervaverimus, flores ex ruſo albicantes (nunquam enim virides à nobis reperti) umbellæ modo ad minimum quinos majores & breviores quam Dorychinum vulgare profert, quibus deciduis, tanquam ſiliquæ erumpunt capſulæ longæ rotundæ majores & craſſiores quam quæ in loto lybica Dalechampii conſpiciuntur, ex nigro ruſeſcentes, ita ut plenas ac diſtinctas hæmorroides non male repreſentent, in quibus ſemina plura exigua, rotunda nigricantia continentur, hæc planta perennis eſt & cubitum unum nonnunquam ut alterum ſuperat. Floret Maio & Junio, ſemen menſe

Auguſti maturum eſt ; creſcit in locis umbroſis humidioribus circa Monſpelium præcipuè ſylva roſquet. ſemen à fratre anno præterito ſatum copioſe in viridario enaſcitur. Guſtanti hanc plantam facultas ejus aſtringendi patebit, ſine manifeſta caliditate aut acrimonia, facilime aliqui uſi ſunt in curandis hæmorroidibus foliis nimirum (ſed ſemen præſtantius) ſiccis in pulverem redactis à ʒ ſ. ad ʒ i. cum vino Auſtero ut aſtringente exhibitis. an hoc fiat proprietate occulta, an vero facultate aſtringente, qua pollet quæſtio inter nos ſæpe exorta eſt, ſed quia locus hic non poſtulat tuo fæliciſſimo judicio commendo.

Trifolium ſtellatum Baub. Pin. pag. 329. quod 16 in Prod.

Trifolium ſtellatum hirſutum Ger. emac. pag. 1205. ſine Icon.

Trifolium ſtellatum purpureum Monſp. J. Baub. Hiſt. Plant. l. 17. pag. 376. Icon. ibid.

Trifolium ſtellatum Monſpeliacum. Auctior elucidatio.

Park. pag. 1108. Icon. ibid. Theat. Bot.

Rarius hæc planta Narbone, & circa Monſpelium præcipue invenitur, quam Monſpelienſes trifolium ſtellatum vocitant; nec admodum magna eſt, ſed radicem habet longam, rectam nonnullis fibris, donatam; folia emergunt tria, cuique pediculo longo, tenui, non omnino ſurrecto, ſuperpoſita, villoſa, cordis

cordis figuram non male imitantia, & aliquo modo in ambitu ſerrata: ita ut Trifolium cordatum, primo intuitu affirmare auſi fuerunt aliqui, nam tres aut quatuor è radice emittit cauliculos, ſed minus altos à radice ad ſummum fere nudos, (niſi alter flos enaſcatur) ubi tria conſpiciuntur folia, aliis non diſſimilia, & quaſi ex iiſdem membranis, ex quibus umbella oritur, provenientia; hinc multi apparent flores, ex albo rufeſcentes, umbellæ modo, quiſque undiquaque floccis (ſex enim ſunt) lanuginoſis Pſeudomelanthii inſtar circumcinctus eſt; ita ut apertis floribus ſtella videatur, unuſquiſque unicam habet capſulam, ſemen plenum & nigricans, Lagopi pinnati non diſſimile continens. Creſcit Narbonæ & prope Monſpelium viâ quâ itur ad montem vulgo ferrier dictum in Olivetis. Floret menſe Aprili & Maio, Junio ſemen colligitur.

Hepaticæ rubræ varietas.

Floris colore rubente dilutè, ſive carneo in horto D. J. Someri, Mediocaſtri Matthiacorum, jucundo ſpectaculo viſenda.

Varietas. Sylvoſis Daniæ & opacis cautibus Norvegiæ Hepaticam purpuro violaceis floribus, etiamque cæruleis legimus, dum Nobiliſſimum Virum D. Baronem Edvardum Zouche quatuor annis elapſis in legatione ſua Reginea ad Daniæ Regem comitaremur; aluntur que in horto præfati D. Londinenſis Ruris Hacknei vocati.

Hepatica multiplici flore.

Ibidem loci Hepaticam flore multiplici ſedulò fictili vaſe coluimus acceptam à Clar: amiciſſimoque Viro D. Doctore Jona Venuſino, eloquentiæ in Hafnienſi Academia Profeſſore.

Hepatica Polyanthos.

Purpuro-cæruleis multiplicibus floribus peregrina elegantia ſtipatam, hanc præclaro D. Joanni Brancioni Machliniæ ſummæ memoriæ, annis jam multis elapſis, Alfonſus Pancius ducis Ferrarienſis medicus miſit. pluribus annis poſt 1598. Julio menſe in Danica navigatione mea, plantam hujus Hepaticæ plenifloris cæruleæ mihi dono dedit C. V. perpiæ memoriæ Hafniæ Daniæ metropoli Doct. Jonas Jacobus Venuſinus. Plantam Hackneo Londinenſis ruris in horto Nobiliſſ: Baronis Zouche, à ſanctioribus conſiliis Regiæ Majeſtatis Jacobi primi, Anglo-Brit: &c. in fictili vaſe fovi, ſed tandem perii. Cæteroquin, folia, radix, cum vulgari Hepatica cærulea haud abſimilia. Colitur hodie ſedulo in Botanicis Londinenſium hortis D. J. de Franqueville, D. J. Parkinſon, & Bartolomæi Seelen.

In ſylvis & ſylvoſis Hafnienſis ruris Hepaticæ vulgaris tanta gliſcit copia ut ſatis ſit Pharmacopœis ad quotidiana apozemata Hepatica. Co-

Copioſiſſimam item reperi conſimilibus natalibus Norvegiæ petreæ, non procul à portu Flecheri.

Fœni Burgundiaci varietates in florum coloribus.

Floribus cæruleis, purpureis, ſubfuſcis, violaceis, ex purpureo violaceis, mixtiſque coloribus, etiamque luteis in Hiſpaniæ & Galliæ Narbonenſis ſilveſtribus.

Apud Hiſpanos fœni gratia ſeritur, & ſingulis æſtivis menſibus demeti ſolet; ſiquidem multos annos vivaci radice perdurat.

Lagopus perpuſillus ſupinus elegantiſſimus Anglicus.

Provenit prope caſtrum maritimum miliare Anglico à Portſmout, id eſt, Portus Oſtium regione Vectis Inſulæ, ad lævam; uncialibus & triuncialibus cauliculis, floribus

ribus nitentibus caudatis albis & foliis ſu-periori paribus.

Medicæ marinæ ſpinoſæ ſpecies Ger. em. pag. 1200. ſine Icon.

Medica marina major ſpinoſa & minor, Park. pag. 1115. ſine Icon. Theat. Bot.

Medica Maritima Africa Boelii.

Seſquipedalis planta, maritimis Sophiæ oriunda; ſabuloſis planis campis repens.

Altera ibidem loci Sophiæ prouenit; an erecta, & cujus altitudinis adhuc me latet.

Medica Africa 3 flore luteo.

Dorycnio Hiſpan: affinis alia planta.

Non abſimilem facie totoque habitu & ortu ſæpe notavi udis ſylvoſis marginibus; caule cubitali, ramoſo & tricubitali, minus tamen flexuoſo & cornicula Dorycnii ſimi-lia memini.

Aſtragalus

Aſtragalus purpureus, Ludg. pag. 1347. Icon. ibid.

Aſtragalus purpureus montanus. Vivaciſſima narratio.

Park. pag. 1086. Icon. 1085. Th. Bot. è Lob. MS.

Quamplures rei herbariæ periti, elegantem hanc plantam aſtragalum Luſitanicum aut Bæticum Cluſii nobis perſuadere videbantur, ſed accuratius utriuſq; deſcriptionem inſpiciens multum inter ſe differre animadverti, ac propria deſcriptione dignam hanc exiſtimavi. iis quidem in eo quod Aſtragali nomine propter conſimilem figuram inſignire volunt aſſentior; multum tamen à Luſitanico Cluſii diſcrepare plures etiam arbitrantur, nam radicem habet lignoſam, longam, nonnullis fibris donatam, intus, albam, foras nigricantem, è qua plures emergunt ramuli, duri circa terram quodammodo repentes; folia pediculo plurima adhærent, exigua, hirſuta, ſubalbida, bina

optime

optime correſpondentia, ita ut in uno, quam in altero latere nec plura nec pauciora reperiantur; in extremitate tamen unicum apparet. Hæc foliorum ſeries talis fere eſt, qualis in Aſtragalo ſyriaco conſpicitur, longiora tamen aliquantulum ſunt folia, caules ſurrecti, majoris digiti longitudinem altitudine vix ſuperant, infima parte foliis reliquorum æmulis conſtant, media his prorſus deſtituti ſunt, ſumma vero parte, qua florem oſtendit, multis foliolis ternis, pediculo proprio adhærentibus, ſed quam enumerata longioribus umbellam ambientibus, eam ſuſtinere videntur. Flores umbellæ modo, ac veluti in orbem ſimul juncti plures ſunt, elegantes, purpurei & leguminoſi. Floret menſe Maio & Junio in Sevenæ altiſſimis montibus, maxime vero circa urbeculam Mernes nuncupatam & proximam ei ſylvam: nec non in horto Dei, & contiguis montibus. planta acrimoniæ expers, ſalſedinis exiguæ particeps, guſtu percipitur.

Piſum ſylveſtre primum D. Thomæ Pennei.

Fortè hæc piſa non differunt à Silveſtribus piſis mihi communicatis & obſervatis à doctiſſimis & amiciſſimis Doct. Anglis D. Thoma Penneo, & D. J. Jacobo Veſtenſi medico Regineo, quorum primum inquiunt, inſtar Convoluulorum ſe ſpargit; foliis Medicæ cæruleæ, ſed non ſerratis. In cauliculis quadratis fructum fert Piſo minorem.

Piſum ſyl. 2.

Alia piſi ſylveſtris ſpecies radice perenni folio Aſcyri fere rotundo, caule item rotundo, ſtriato & fructu in ſiliquis minoribus.

Tertium.

Tertia ſpecies è radice longa, lignoſa, recta, caules ſtriatos producit, è quibus in pediculo

pediculo, ordine quo in Cicere bina, & in ſummo terna, obſcurè virentia longiuſcula folia naſcuntur longitudinis & magnitudinis Hyperici, fructus in ſiliquis longiuſculis Piſi.

Alia ſpecies foliis oblongis Aſcyri radice multum fibrata.

Proculdubio Piſa hæc ſylveſtria è genere ſunt Lathyridis Cicerculæ quam Angl: Rhyzotomi cum quodam faſtu (Everlaſting Peaſe) vocant.

Puſillum Piſum aliud ſylveſtre, ſpontaneum.

Hoc Piſi genus in Cretaceis collibus Kings-hey Kantii comitatus collegi, non procul à Thameſi amæniſſimo ſarmento ſpithamæo etiamque palmari. Floſculis ſubalbis, radice fibroſa, & foliolis vulgato Piſo ſimilibus, ſed omnibus ſui partibus longè minoribus: In Eſſexiæ autem comitatu trans Thameſim è regione Kantii editioribus pratenſibus (agris fortè deſertis) hoc ſylveſtris Piſi genus multo majus reperi.

Piſum ſpontaneum aliud maritimum Anglicum.

Piſum aliud maritimum In Kantii maritimis juxta no-

Britannicum, *Park. pag.* 1059. *Icon.* 1060. *Theat. Bot.* è *Lob. MS.* (All which 3d Chapter is plundered from this Treaſury, and but one raviſh'd Plant acknowledged) which he informs you Dr. *Argent* (the validity of whoſe evidence extorted this) gave to Dr. *Lobel* in his life-time to be inſerted in his Works; but he prevented

vented by death to perform it (whoſe Volumes were compleat, The Title! Epiſtle! and *Diploma* affix'd!) I have, by purchaſing his Works with my Money, here ſupplied (and murdered his genuine ſcrutiny in treacherous oblivion, erecting upon this deſpoyl'd Fabrick that Theater, on which is perſonated the grand Rhapſodiſt.) But you may meet with the moſt ingenuous *Johnſon* in his *Mercur. Botan. part. alt. pag.* 30. with a *totum hoc de Piſis ſyl. tranſtuli ex margine hiſtoriæ Plantarum Teutonicæ Lobelii, ubi propria manu has breviuſculas eorum deſcriptiones exaravit.*

vam Romam vocatam iſtud ſylveſtre Piſi genus inter ſilices ſpontaneum oriri tradunt; quamplurimis, viginti aut triginta numero conjunctis ſiliquis: floribus variorum colorum albis aut cinereis, radice perenni.

Mi Doctiſſime Lobel,

MEmini me (anno jam præterlapſo) tibi monſtraſſe piſum illud littorale quod mecum è Suffolcia adduxi, quod cum te curioſius obſervaſſe perſpexerim, in hoc meo ſecundo itinere, quo ad propinqua loca volatus ſum; littus illud denuo inviſi, & quanta potui induſtria conatus ſum, profundiſſim: radices perſequi, non quidem fodiendo,

foliendo, ſed manibus lapides amovendo, idque ad magnam profunditatem, nec tamen aſſequi potui ultimos radicum fines, quas in multiplic: fibras diviſas & circumquaque ſparſas reperi, alia germina hinc inde emittentes. unum vel alterum germen cum radicibus oblongis mecum habeo quæ in tuam gratiam adduxi; ſi videbitur meas ædes adire circiter horam primam pomeridie, vel qua placet hora cras ante meridiem, te faciam paulo inſtructiorem. Raptim ab ædibus meis in Woodſtreet, Junii 2. 1608.

Tuus Jo. Argent.

Menſe Auguſti, Anno Domini 1555. in Anglia in Comitatu Suffolciæ inter oppida Orford & Alborough, ad littus maris in loco lapidoſiſſimo, ſine ulla terræ admiſtione, qui ex lapidum è mari rejectorum continua coacervatione. Anglica lingua ab indigenis vocatur (the Shelf) ubi nequidquam graminis propter loci ſterilitatem unquam viſum eſt.

Tanta

Tanta orta eſt ſubito, ſine ſemento vel cultura, piſorum ſeges, & abundantia. ut (judicio indigenarum) pauperes ibidem ultra octingentos modios collegerint. ſubnaſcentibus ſubinde aliis & floreſcentibus adhuc cauliculis ut eorum copia nequaquam minui videretur.

Inviſendi gratia adierunt Epiſcopus Norwicenſis, & Baro Willoughbeus, aliique magno numero qui nihil aliud repererunt per profunditatem trium ulnarum. quam ſaxa & lapides inter quos Piſa radices egerunt. Radices erant tunc temporis magnæ, & longæ, & guſtantibus. etiam ſuaviſſimæ.

Ab eo tempore ad hanc noſtram ætatem perduravit annuus hujuſmodi piſorum proventus, ab iiſdem ſcilicet radicibus adeo in profundum perreptantibus, ut earum fines fodiendum haud facile quiſquam invenerit. Jam tamen multum imminuta eſt & eorum copia, & magnitudo, ita ut nunc ciceris magnitudinem paulo ſuperent.

Phaſeoli

Phaſeoli præduri Indiani media ſui parte, atri & altera miniati, majores aut minores.

Tanta copia ſuperioribus annis ex India Londinum aſportati fuere, ut quamplurima monilia longa inde parata, quamplurimis puellis ornandis, apud aurifices venales ſatis fuerint. Majores mediocrem nucem ponticam æquant; minores autem, vix Staphylodendri nuculæ pares ſunt, coloris miniati. Inſtitores, arboris Indicæ fructus aſſerebant Medulla duriſſima, non ingrata.

Secundus.

Alter major paulo concolor miniatus rotundior. Adeo durus ut ſemianno integro ſatus in horto Clariſſ: & Nobiliſſ: Baronis Edvardi Zouche, etiamq; in horto D. Wenceſlai Tſerclaes nihil immutatus fuerit.

Tertius

Tertius utroque major colore rubro languido, teres rotundus, utrinque Caſtaneæ Equinæ modo compreſſus.

Cicer Alpinum.

Radicem habet longam, è qua radices plures oriuntur. folia pediculis hærent Orobi modo undique rotunda, ſerrata; flores ex albo purpuraſcentes. Siliquæ Piſi ſiliquis minores, hirſutæ. Provenit in monte Jura.

Park. pag. 1077. ſine Icon. Th. Bot. è Lob. MS. This comes off with a not mentioned by any before.

Fraga major ſubalbida Lob.

Fructu ſapore & odore moſchato variat colore ſubviridi in horto D. viduæ Rich. Garth.

Chamæbalanus 2ª, vel ſylveſtris.

Orobus tuberosus, L.
Sm. brit. 2. 38

Priori ſimilis, anguloſo caule: floribus magis cæruleis, minoribuſque: totaque planta magis nigricat. Radice item foris

 nigra,

nigra, dura nodoſis radieibus, Coryli nucibus ſimilibus, quibuſdam fibris præditis. In montibus ſylvoſis umbroſis hyeme humentibus provenit. Frequens prope Heidelbergam.

FINIS.

THEATRI BOTANICI
J. PARKINSONI
Ἁμαρτήματα.

CHamæſpartum montanum triphyllum, pag. 232. idem cum Geniſta Iluens: ejuſd: 229. Stœbe ſpinoſa Cretica 478. Cyanus Creticus ſpinoſus ejuſd: 483. Solidago Saracenica major. 539. Lyſimachia purpurea ſpicata ejuſd: 546. Galleopſis altera pallida. 608. Scrophularia flore luteo. ejuſd: 611. Jacea marina Bætica 473. Cyanus Bæticus ſupinus ejuſd: 483. Pentaphyllum ſiliquoſum Arabicum album 396. Lupinus Arabicus ejuſd: 1075. Chelidonium maximum Canadenſe ἄκαυλον 617. Ranunculus Virgin: albus ejuſd: 327. Sedum minus æſtivum

734. *Vermicularis minor, ejuſd:* 733. *Acetoſa ſativa Franca ſive Romana rotundifolia* 742. *Acetoſa Cambro-Britannica montana ejuſd:* 745. *Cichorium ſyl: Hiſpan: pumilum* 778. *Dens Leonis Gadenſis ejuſd:* 781. *Caucalis major flore ſaturo rubente* 919. *Caucalis arvenſis latifolia purpurea ejuſd:* 920. *Chamæmorus Anglica* 1015. *Chamæmorus Cambro-Brit. ſive Lancaſtrenſe vaccinium nubis ejuſd: ibid. Filix fæm: pinnulis dentalis* 1037. *Filix fæm. aculeatis pinnulis ejuſd: ibid. Anthyllis falcata Cretica* 1094. *Trifolium falcatum ejuſd:* 1112. *Alſine recta triphyllos ſive laciniata* 760. *Alſine recta flore cæruleo ejuſd:* 1260. *Achillea ſideritis lutea* 693. *Chryſanthemum Alpinum 2 Cluſ:* 1371. *Vitis ſyl. trifolia* 1556. *Hedera trifol: Virgin: ejuſd:* 679.

679. *Park. pag.* 568. *Th. Bot.* We have a ſmooth *Aparine*, which is not the *Mollugo*; of which I find no Author to make mention but *Thalius* onely, no not *Bauh:* himſelf in his *Pinax*, which is an enumeration of all Plants that were either ſet forth by any other Author, or that himſelf knew or heard of; yet for all this ſwelling Apologie it appears to be *Gallium paluſtre album Bauh: Pin: pag.* 335. which is *Aparine lævis paluſtris Thalii. Viola rubra ſtriata Eboracenſis* 755. This, ſaith he, hath not been remembred by any before, when it is the *Viola Martia flore rubro purpuraſcente H. Eyſt. fol.* 4. *Plant: vernal: Rubus montanus odoratus* 1013. Of this he doth not find that any hath written, which is *Rubus odoratus Cornut:*

Plant:

Plant. Canadenſ: pag. 149. *Terræ glandes Americanæ ſive Virginianæ* 1062. This is ſpecified with the deſcription, yet bears the title of *Apios Americana Cornut: Plant: Canadenſ: pag.* 201. *Lupinus Indicus medius cæruleus* 1075. This hath not been remembred by any before, yet is *Lupinus Indicus Cornut:* 2c6. Among *Park:* errata's he adviſeth thus, that *pag.* 1086. after the 9 deſcription is to be inſerted the 10 thus, *Aſtragali ſimilis palmaria puſilla planta Lob:* which addition might have been omitted, being formerly plac'd and made *Onobrychis minima,* where he there reſolves you *Lob:* in his *Adv:* calleth it *Aſtragal: perſimilis palmar: &c.* 1083. *Gramen Cyperoides ſpicatum latifolium* 1173. This hath

not

not been written of before, yet is otherwiſe ſtil'd *Gramen Cyperoides latifol: ſpica rufa ſive caule triangulo Bauh: Pin: pag.* 6. *Eruca aquatica pag.* 1242. It hath no other name then is in the title, for any thing I know, not finding it mentioned by any other Author, yet is phras'd *Eruca aquatica Ger: pag.* 248.

FINIS.